


menit, & utile in pagos Fromondivillæ, Folcerii, & alios. Huic Abbatia unitæ sunt Ecclesiæ Parochiales dictorum Urbis & Pagorum, nec non aliorum aliquot, in quibus Curati seu Rectores & Parochi sunt Canonici Regulares dictæ Congregationis.



Littera M.

MAGDEBURGENSE.

Ecclesia Metropolitana, vel olim titulo & dignitate Primatus Germaniæ decorata, eaque suffraganeas sibi subditas habens quinque, videlicet Merseburgensem in Thuringia, Cicziensem in Misnia, Brandenburgensem in veteri Marchia, Havelburgensem in Saxonia, & Misnensem in eadem Provincia situatam, de principali seu Metropolitana Sede sua, item de primæva fundatione sua recensetur ab Alberto Krantzio in Metropoli Saxonie lib. 6. cap. 12. taliter descripta: Otto Magnus dum expeditionem primam terminasset in Italiam, voto constrictus, quod Milites sui se invito Monasterium S. Mauritii (aliàs Agaunense dictum, de quo jam supra) habuissent inhonorarium, novum extruere Monasterium in honorem ejusdem Divi Mauritii. Idque opere complevit, dum rediret in Magdeburg; ibique fundavit Monasterium Fratrum Divi Benedicti, Mauritium faciens sanctum loci Tutelarem. Ad sequentia verò tempora cum crescere cerneret civitatem, multiplicarique populum Christo crediturum per vicinam Wandaliæ, erexit in eodem loco Ecclesiam Metropolitanam: sed cum esset Ecclesia futura Metropolitana, non erat Fratibus Divi Benedicti locus propter Cæremonias multas, fratribus alienas, in Ecclesia prima peragendas. Igitur deputavit Otto fratribus locum extra muros in monte, ubi jubebat refici Cænobium, translati sunt igitur, licet plurimum renitentes & inviti, & in Vigilia S. Laurentii emigraverunt, cujus emigrationis mæstissimæ diu annuam peregrine memoriam in Vigilia Divi Laurentii, prædia pridem data illis remansere ad cultum. Cæterum Ecclesiæ Metropolitanæ contulit, quæ Pater suus Henricus largitus est Episcopatu Vallerseve, qui ex illo die cessavit translatus potius quàm extinctus. Tum verò in Magdeburgo crediderim Regulares fuisse Canonicos, sicut ferè per omnes Ecclesias &c. Ita Krantzius citatus, cui pro confirmatione dictorum operæ pretium nobis visum est, nostrum hic etiam subdere Nebridium in Antiquario Monastico in Epist. 139. fol. 637. vel breviter in hæc verba differentem: In hac (Superiori nostra Germania) reperio Ecclesias Cathedrales ultra quadraginta, quæ olim vivebant vitam Apostolicam, Magdeburgensis primas tenet. Porrò extat ad calcem Witichindi Meibomiani cœva de anno 967. notitia, quæ conceptis verbis testificatur Othonem Magnum, antequam Magdeburgensem S. Mauritii Ecclesiam ad Archi-Episcopalis Cathedræ honorem efferret, Canonicos ibi Deo famulantes constituisse. Idipsum abundè confirmat Chronologus Magdeburgensis; quippe qui post expositam Ordinationem Adalberti Archi-Episcopi Magdeburgensis primi & Suffraganeorum ejus testificetur, jam antè Monachos de Ecclesia S. Mauritii exiisse. Monachi autem, inquit, ad annum 969. qui prius ibidem conversabantur (sub Abbate) transpositi sunt in monte, qui dicitur ad sanctum Joannem in suburbio ejusdem civitatis (Magdeburgi) quinto Idus Augusti, hoc est in Vigilia S. Laurentii Martyris; qui multis retrò annis ob devotionem & recordationem ejusdem transpositionis nudis pedibus eadem die facere solebant processionem in Urbem, & quæ sequuntur. Plura in eam rem testimonia ex Diethmaro Merseburgensi Episcopo & Magdeburgensis Ecclesiæ Canonico ac Confratre repeti possent, in Chron. l. 5. sub fin. sed supervacaneum est, quod jam nemini dubium potest esse, multis argumentis confirmare. Hoc tamen loco non permittam, quin explicem Diethmari præsertim verbis, quæ Canonicorum Magdeburgensium disciplina decimo sæculo & undecimo fuerit. Tametsi Abbas & Monachi Magdeburgenses ad Ecclesiam S. Joannis exiissent, ut Canonici venirent in possessionem Mauritanæ Basilicæ, nihilominus Ecclesia S. Joannis tota fuit in potestate Archi-Episcopi, l. 7. sub finem, qui id egit, ut hinc Monachi, inde Canonici in sua quique Ecclesia regularem vitam & communem viverent. Quanta sollicitudine, inquit Diethmarus, l. 3. idem (Adalbertus Antistes Magdeburgensium primus) suis subditis invigilaret gregibus, Lector, attende. Sæpenumerò ad ovile S. Joannis Baptistæ, & Sancti Mauritii noctis silentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque Confratres ad matutinam convenirent, vel qui in Dormitorio remanerent, ex improvviso perpexit: & si benè fuit, Domino gratias egit: sin autem, culpabiles digna castigatione redarguit. Clerus & Populus tanti Patris funere turbatus Otricum confratrem, & tunc Imperatori fideliter fervientem comuni-

muniter elegerunt in Dominum & Archi. Præfulem, quamvis hoc nullo modo posse fieri prædictus Archimandrita, dum adhuc viveret, benèque valeret, multis ex eorum numero publicè prædiceret. Cùm enim Episcopus & Otricus nunquam convenirent moribus, magna Confratrum & hospitem, quia Magister fuit Scholæ, caterva benè elaborata, maluit indè exire, quàm in Monasterio (videlicet Mauritiano) permanere, huic eùm apud Archi. Episcopum licentiam sibi famulandi vix impetraret (Imperator) Otricus verò Beneventum postea veniens infirmatur. Confrater meus nomine Hufuvar, ut mihi retulit, vidit assistere sibi Athelken Præpositum quondam nostrum, sed tunc defunctum, annonam sancti Mauriti eminus sibi porrigentem. Expavescens tali visione: idem, cernis, inquit, frater, aliquid? Et exponens ei ordine cuncta: Væ mihi, dixit, misero & peccatori, quòd unquam Monasterium meimet, & Obedientiam ob ambitionem reliqui. Et si divina largitas aliquam mihi concedere dignatur sanitatem, supplex hic venio, nunquamque recedo. Talia persecutus infirmitate validiori opprimitur, & post paucos dies in præfata Civitate nonis Octobris moritur, ac sepelitur, non ullum sapientia atque facundia relinquens similem. Quod ibi Otricus de obedientiæ Canonice debito pronuntiat, magis ac magis aliorum Canonicoꝝ itidem Magdeburgensium exemplo confirmatur. Laudat idem Diethmarus l. 4. Confratrem Conradum ex eo, quòd nunquam inobediens Præpositis fuisset erat, sed eos Charitate continua cum cæteris Confratribus subjugaverat. Diethmarus ipse cùm ad Episcopatum Merseburgensem vocaretur, l. 2. venit ad Parthenopolim, & cum licentia Præpositi ac Confratrum indè profectus est. Aliàs cùm Præpositus Walterd in Capitulo ab omnibus Confratribus Ecclesiæ Magdeburgensis electus esset ad Pontificale munus, l. 5. & 6. hoc cum magna, ut decuit, humilitate idem suscipiens veniam prostratus petiit. Qui ex Canonicis Magdeburgensibus Episcopi evaserant (evadebant autem multi) hi si ad Confratres suos servos sancti Mauriti in Magdeburg accedebant, Refectorium atque Dormitorium frequentabant, more institutòque Fratrum. l. 6. & ult. Laudatur inprimis Eidus primus Canonicus Magdeburgensis, tum Episcopus Misnensis. Erat, inquit adhuc Diethmarus, l. 7. Vir nobilis genere & dives in prædiis, sed paupertate Spiritus hæc nihil ducens; ante Benedictionem in Magdeburg cum cæteris Confratribus regulariter vivens, & post in Divinis gregibus lucrandis altius insurgens, pro possibilitate sua, Apostolicam imitatus est vitam.

MARBACENSE,

Taliter à piscoso quodam (qui medius aream Claustralem perluit) fluvio cognominari solitum præclarissimum de Venerabili Congregatione Windesimensi Monasterium, Dioceseos Basileensis, in Superiori Alsatia, propè Colmariam Civitatem Imperialem, S. Irenæo Martyri, atque unà simul etiam Sanctissimo Patri nostro Aurelio Augustino Episcopo & Ecclesiæ Doctore, totique Curie Cœlesti devotissimè dicatum ac consecratum; initia sua sumpsit Authore Burcardo Nobili quodam milite de Gebenweiler dicto, Cathedralis Ecclesiæ Argentoratensis Ministeriali; qui isthic loci pro more suo venationi indulgens, cùm die quadam defessa thoro sylvestri membra reponeret, per quietem adstare sibi vidit Christum humani generis Servatorem coruscantibus quinque vulnerum suorum cicatricibus gloriosum: juxtà quoque Deiparam Virginem Cœlitum Reginam, nec non etiam memoratum Sanctissimum Præfulem Augustinum habitu Pontificali vestitum, atque istos tres quasi de novo Cœnobio inibi locorum construendo invicem colloquentes. Burcardus post degustatam dulcissimam hujuscemodi visionem sibi redditus, ac supernè taliter illustratus, omne illud quidquid hic loci incultæ telluris proprium habuit, arborum quoque ac virgultorum interjecit, in plenam novi Monasterii fundationem constituit. Prout tota fundationis hujus Marbacensis historia vetustæ cuidam tabulæ hodièdum illibatè servatæ simpliciter inscripta simul ac artificioso penicillo depicta Rhythmis vernacula lingua compositis ita legitur adornata:

In Wahrheit ich will sagen
 Will sagen ohne Scheu,
 Will sagen von mein Iagen
 Ich schwör bey meiner Treu,
 Ich lieffe mit Verlangen
 Dem Wildt zu Marbach nach,
 Da wurd ich selbst gefangen
 Was Wunder da geschach,
 Ich richtet meine Netzen
 Zue Marbach hin und her,

Und

Und fieng auch an zu Hetzen
 Mit meinem Saith-Gewehr,
 Und rüeffe zue meinen Hunden,
 Hey, Hey, Hey, Hey, Hey, Hey,
 Die fuechten auf, und unden,
 War umb und umb darbey,
 Da gab mir GOTT zuekennen
 Wie lieb ihm difs Orth war,
 Wie ich müed war vom Rennen
 Jagendt die wilde Schaar,
 Sache ich in Lüfften schweben
 Mit Wunder groffer Zier,
 Drey Heiligen (merkht mich eben)
 Kamen mir ins Visier,
 GOTTs Sohn mit dem Creüz-Zeichen,
 Und dann die Muetter fein,
 Sanct Auguftin im gleichen
 War auch in difem Schein,
 Sye thäten mir angeben
 Das difs Orth GOTT gefiel,
 Das ich noch foll im Leben,
 Und Eh es mir entfiel,
 Hie richten auf ein Kirchen,
 Und bauen ein Gottshaus,
 Wie ichs gefehen bezürkhen,
 Sye von dem Himmel aufs.
 Zueforderst GOTT zue Ehren,
 Mariæ Jungfrau rain,
 Sanct Auguftin, und mehren,
 All-Heiligen ins gemain
 So war der drey Begehren,
 Ihr Mainung, und ihr Will,
 Ihr Will will ich nit wöhren,
 Geb GOTT, das ichs erfüll,
 Es muet mich nichts gereuen
 An difem Orth, und Endt,
 Nichts reuen, sonder freuen,
 Alles was ich anwendt,
 Auf Burkhardt, auf, verweile,
 Nit nur zuelang, ich bitt,
 Aufbauen thue in Eylè,
 Thue Eylen, faumb dich nit,
 Du haft gnuég gefangen
 In der gestürnter Höch,
 Kanft gnuégfam damit brangen
 Bau forth, was wilt du meh. &c. &c.

Nach dein Geburt Herr Jesu Christ,
 Sey kundt, und jedermann vergwift,
 Als war die Zahl M. L. und X.
 Baut Burkhardt difs, es fehlt nur nix.

Demum ad Regulare Claustrum istud undequaque completum, sed & Opimis, quibus ipse fundator abundè fatis pollebat, juribus ac possessionibus largissimè dotatum, idem Burcardus sub annum gratiæ humanatæ 1060. Regulares Canonicos Augustinianos de Venerabili Congregatione S. Rufi, id temporis per uniuersam Galliam celeberrima, desumptos evocavit, Religiosissimo Patre Manegoldo de Leutenbach seu Lutenbach in primum Regularem Antistitem constituto, qui ferventissimo Zelo suo tantâ locum extulit disciplina, & morum sanctitate, ut etiam quàmplura, & quidem utriusque sexus, nec non & diversorum Ordinum Cœnobia, ac sacra Collegia pientissimo huic Marbacensi Asceterio in Domino combinata seu confœderata, saluberrimas illius sanctiones Claustrales avidissimè susceperint observandas. Superfunt nomina illorum vetusto cuidam Codici M. S. in pergameno taliter inserta: 1. de Hirsaugia. 2. de S. Georgio. 3. de S. Blasio.

4. de Nui. 5. de S. Albano Basileæ. 6. de Silaco. 7. de Beinweiler. 8. de Bucel. 9. de Tennenbach. 10. de Goldbach. 11. de Marbach. 12. de Lutenbach. 13. de S. Marco. 14. de S. Gregorio. 15. de Paris. 16. de Alerpach. 17. de Hugoniscurte. 18. de S. Cruce. 19. de Petri Monte. 20. de Mauri Monasterio. 21. de Ebersheim. 22. de Altorff. 23. de Schlettstätt. 24. de Erstheim. 25. de Ekowe. 26. de sacra Sylva. 27. de Horde. 28. de Hegene. 29. de S. Albano in Moguntino. 30. de S. Jacobo in Mogunt. 31. de S. Eucharzio in Treviris. 32. de Selze. 33. de Limburg. 34. de Monte S. Disibodi. 35. de Spanheim. 36. de Flammheim. 37. de Franckenthal. 38. de SS. Trinitate. 39. de novo Castro. 40. de Stürzelbronn. 41. de Creuchthal. 42. de S. Joanne. 43. de Walburga. 44. de Reitenbach. 45. de Bruschal. 46. de Allerspach. 47. de S. Trudberto. 48. de Schafbusa. 49. de Rheinow. 50. de Eittenheim. 51. de Chonburg. 52. de Ottmarsheim. 53. de Badena. 54. de Gengenbach. 55. de Schwarzach. 56. de Sancto Udalrico in Augusta. 57. de Steinfeld. 58. de Gottisaugia. 59. de Schönvein. 60. de Zwifalten. 61. de Monte Jovis. 62. de Ittingen. 63. de Schönis. 64. de Freystorff. 65. de Monte Turicino. 66. de Wettenhausen. 67. de Undersdorff. 68. de loco crescente. 69. de Belli fonte. 70. de Lune. 71. de Sexto. 72. de Lunheim. 73. de Altkirchen. 74. de S. Stephano Augusta. 75. de S. Thoma Argentorati. 76. de Sulzberg. 77. de Monte Romarici. 78. de Villa Majoris. 79. de Wessenbronn. 80. de Herbrechtingen. 81. de S. Arbogasto. 82. de Monasterio nostri Ordinis, quod dicitur Interlacus. 83. de S. Pantaleone in Colonia. 84. de S. Martino Juniore in Colonia. 85. de Beinweiler prope Coloniam. 86. de Sigeburg prope Bonnam Civitatem residentialem Archi-Episcopi Coloniensts. 87. de Colmariensibus. 88. de Salzburg. 89. de Fullensibus. 90. de S. Leone. 91. de Cella Mariæ. 92. de Monte S. Petri in Episcopatu Metensi. 93. de Riederensibus in magna Sylva. 94. de Berenried. 95. de Sprengersbach. 96. de Ravensburg &c. &c.

Porrò eidem libro M. S. in fine simpliciter inscripta leguntur etiam sequentia: Si *Laudinensium* Canonice aliquis ad *Marbacenses* venerit, eo modo quo ipse illos in omnibus excepto capitulo recipiant. Item rescriptum aliquod Religiosorum Confratrum Metropolitanæ Salisburgensis Ecclesiæ, quod pro rememoranda antiquæ fraternitatis amicitia jam olim ad Marbacenses sic sonat: „Dilectis in Christo Fratribus & amicis Charissimis N. N. Venerabili Abbati, totique Collegio Fratrum Marbacensis Ecclesiæ à Miseratione divina Præpositus, Decanus & Universitas Salzburgensis Ecclesiæ fraternæ dilectionis perseverantiam & Orationum constantiam. &c. Gratias agimus omnium Largitori bonorum, cujus opus est ab initio deformatam renovare, dispersa congregare, & divisa in unitatem Spiritus revocare, qui etiam sinceritati Mentium vestrarum diebus istis malis, & à fervore Charitatis penè torpentibus dignatus est infundere, ut pulverem oculorum nostrorum præ vetustate caligantium manu fraternæ salutationis abstergere curaretis. Visis siquidem litteris vestræ dilectionis de priori fraternitate mentionem habentibus valdè in Domino gravissi sumus, & scintillam dilectionis mutua per Dominum conservatam, per Vos autem Nobis exhibitam, in quantum Domino largiente volebamus in ignis lucem & fervorem accendere fatagamus. De cætero rogamus in Domino, ut siquando Nostrates ad Vos, aut Vestrates ad nos transitum facere contigerit, statim certum nobis faciatis, seu intimetis. Super omnia autem memoriam nostri in orationibus vestris habeatis, eandem vicissitudinem, in quantum Dominus donaverit à nobis recepturi, scientes, quòd si malitia temporis permiserit, corporali præsentia Vos libentissimè invitabimus. &c. Et sic loco citato. Sed ecce! de eodem hoc perinçlyto Marbacensi Monasterio Præful illius Reverendissimus Prænobilis ac Amplissimus Dominus Augustinus Præpositus Infulatus anno 1689. die 26. Novembris ex residentia sua Marbacensi gratiosè ad me rescripsit sequentia: Acerbè doleo, quòd ob defectum principalium documentorum nostrorum, quæ jam sub decursum sæculi decimi sexti tempore belli Rusticani à potiori perierunt, & à seditiosa tumultuantium Agricoliarum turba Vulcano tradita, vel violenter fuerint discerpta, perdita, & ablata, ampliorem informationem dare haud possim. Nostro decurrente sæculo usque ad annum 1633. superfuit apud nos insigne quoddam & inæstimabile Chronicon ab antiquis Canonice Marbacensibus ab integris quatuor sæculis magna sanè fedulitate conscriptum, in quo præter diversa notata mirabilis quoque rerum ac temporum Metamorphosis, mutationes item Statuum, Ordinum, Provinciarum ac Monasteriorum accuratè fuerunt annotata: Hujus proin libri raritas, & præstantia quàmplurimos Patriæ nostræ Magnates, Viros doctos imò & doctissimos, isthuc Marbacum attraxit, qui non tam animi relaxandi causa, quàm ob hauriendam tam certam & evidentem peritiam pluribus diebus isthuc sese detinebant, legabant, seque cum maxima mentis oblectatione divertebant. Verùm hujusmodi Chronicon postmodum tempore Belli Suecici, unà cum thesauro & pretiosissimo Ecclesiæ nostræ ornatu (quem ex puro puto auro confectum Isabella Clara Eugenia Illustrissima Belgarum Princeps nobis donaverat) Brifacum tanquam ad commune Patriæ nostræ asy-
lum

lum tutissimum fuit translatum, ubi tandem jure belli ad manus Bernardi Weinmariensis Ducis Saxonie Generalem, uti vocant, Auditorem Georgium Walck patria Norinbergensem A catholicum devenit, & sic haud sine gravissima injuria à nobis ablatum perit.

Denique Reverendissimorum illorum, qui sæpè memoratum hoc Marbacense Cœnobium à prima ejusdem Origine seu fundatione usque ad nostra tempora rexerunt, Antistitum, sequens ad nos transmissus fuit

Syllabus

I. Manegoldus de Luttenbach à Bertholdo Constantiensi (qui fuit Synchronos) Scriptore perantiquo in Chronico ad annum 1095. in hæc verba commendatus. In Alsatia Magister Manegoldus de Luttenbach mirabiliter Ecclesiasticam Religionem in illis partibus extinctam, Deo miserante, reaccendit, nam invalescente apud illos diuturna mortalitate, omnes penè majores & Militares ipsius Provinciae ad ipsum catervatim convenire, & officia Simoniacorum & incontinentium Presbyterorum penitus recipere noluerunt. Hujus Obedientiæ Dominus Manegoldus maxima causa fuit, unde & maximam invidiam sibi apud perfidos excitavit, quam tamen pro minimo reputavit, quia pro Deo contemni gloriosissimum esse non dubitavit &c. Item infra ad annum 1105. Manegoldus Venerabilis Præpositus Canonorum apud Marbach degentium ab Henrico Rege diu in captivitate detentus est, eò quòd Schismati contra Ecclesiasticam Authoritatem obedire noluerit, unde & tota Ecclesia longè latèque condoluit. &c. Sanè sub Manegoldo & proximis aliquot Successoribus ejus magnum ubique locorum fuit nomen Canonie, ac Religiosæ Congregationis Marbacensis etiam à Joanne Mauburno in Venatorio lib. 1. cap. 9. & apud Pennottum nostrum specialiter commendatæ sub his verbis: Circa hæc tempora (ab anno 1090. usque ad annum 1094.) sed quo anno non tam certum est, videtur exorta Marbacensis Monasterii Congregatio Capitularis, quæ tum erat florentissima, ut patet ex Bulla Honorii II. ita dicentis: Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Gerardo Præposito & ejus Fratribus Marbacensis Ecclesie Canonicis Salutem & Apostolicam Benedictionem &c. quia spretis propriis sæcularibus &c. quæ Domus quàm latè effloruerit, quàm districtam vitam duxerit, quàm sublimata fuerit, testimonio sunt Capitularis Congregatio ferè 300. Monasteriorum, Constitutiones, Reliquiæ, caput siquidem S. Matthæi, Brachium D. Christophori & alia complura hujusmodi sanctorum insignia ibidem habentur. Præterea & actissima habent statuta de silentio, de non vescendis carnibus, & pœnitentiis agendis, ita enim in ipsorum cap. 78. habetur. Siquis superbus frater, &c.

II. Gerungus.

III. Arnoldus.

IV. Dutto.

V. Marquardus.

VI. Ezelinus.

VII. Otto.

VIII. Gregorius,

IX. Bernardus.

X. Ludovicus.

XI. Fridericus.

XII. Burcardus.

XIII. Rudolphus. Post quem & alios Præpositos modò recensitos variata tempora, amplificata dignitas, immutatus titulus, & Antistites Marbacenses de posthac indigitati fuerunt Abbates, quorum inclaruit

I. Falco.

II. Conradus.

III. Fridericus.

IV. Cuno.

V. Waltherus.

VI. Conradus.

VII. Hermannus.

VIII. Wilhelmus.

IX. Dietherus.

X. Godefridus.

XI. Joannes.

XII. Eberhardus.

XIII. Joannes.

XIV. Nicolaus.

XV. Conradus.

XVI. Petrus.

XVII. Nicolaus.

XVIII. Nicolaus. Post quem dum Marbacense Monasterium istud solempni incorporatione accrevit Venerabili Congregationi Windesimensi & quidem annis circiter ducentis Superiores Marbacenses titulo seu nomine suo nuncupati sunt *Priores*, & hæcenus fuisse recensentur sequentes:

I. Fridericus Kempis.

II. Henricus.

III. Joannes de Heift.

IV. Mathias Daler.

V. Antonius de Wick.

VI. Henricus Elten.

VII. Bruno de Hufen.

VIII. Joannes Lanstein.

IX. Leonardus Creuzenach.

X. Nicolaus Traun.

XI. Simon Kleindienst.

XII. Wernerus Titianus.

XIII. Adolphus Wiselkover.

XIV. Udalricus Bueb.

XV. Jacobus Singwel.

XVI. Hermannus Ottmarsheim.

XVII. Joannes Kling.

XVIII. Adolphus Kaoufen, Prior Novesianus tum verò etiam totius Congregationis Windesimensis Generalis Prior, & quidem pluribus annis hujuscemodi munere perfunctus. Per sæpe quidem diuque celeberrima Marbacensis Canonica cum summa paupertate luctari debuit, præsertim sub Adolphi hujus regimine, quod plerumque regulari observantiæ nocumento fuit tempore Belli Suecici expulsis Canonicis, integris duntaxat muris, quidam Doctor Welcker, Militarum Copiarum Ducis Saxonæ Judex (Auditeur) redditus Canonice sacrilego ausu collegit & usurpavit, donec tandem jussu & Autoritate Christianissimi Regis Ludovici XIV. Adolphus anno 1645. postliminio redierit, qui diruta utcunque restauravit, pertinacique Labore effecit, ut etiam hodie minus egeret Canonica, si cum extraneis seu Pensionariis, ut vocantur, magnam partem reddituum successive partiri non compelleretur.

XIX. Augustinus Beyward ex Nobili Alsfatarum stirpe progenitus idem etiam præter morem Windesimensibus consuetum omnium primus mitrâ & baculo Præfulari decoratus.

XX. Josephus Antonius Preyfs de Ehrenpreyfs, secundus Marbacensis memoratæ Congregationis Windesimensis Prior seu Prælatus mitratus, quo præfidente simul, ac indefessè suffragante moderno loci Decano plurimum Reverendo Nobili ac Clarissimo Domino Elisæo Fürstenlob univèrsus Status Marbacensis, Superiori ætate diuturnâ bellorum ferocitate nimium quantum afflictus & attritus, è tantis miseriarum fluctibus denudè caput extulit; inde felicissimè redemptus ac restauratus in singularem non solum dilectæ Patriæ decorem, sed etiam omnimodam totius sacri Ordinis Canonico Augustiniani splendorem hodiè plurimum illustratus constanter effulget. Præfuit meritissimus hic Præful ab anno 1711. usque ad annum 1741. quo 5. Octobr. obiit ætatis suæ anno 75. Professionis vero 56.

XXI. Elisæus Kieffer, electus 28. Decembr. an. 1741. Qui solus fluentibus oculis suam ad Abbatialis dignitatis fastigium improbaverat, nec unquam quoad vixerat, aliter sensit, nec aliter unquam sensere, qui genuinæ humilitati student. Apoplexia tactus & vita functus est anno ætatis suæ 73. sacre Professionis 48. Christi 1745. die 5. Martii. Mors erat subitanea quidem, non tamen improvisa, quippe ad mortem, velut ad depouendæ Abbatialis sarcinæ metam, anhelus sæpe bonus senex Senis Simeonis instar suspiraverat.

XXII. Josephus Jehel, unanimi calculo ad mitræ honores vocatus 4. Martii anno 1745. Apoplexia bis tactus, mortalitatem exiit die 19. August. anno Christi 1755. ætatis suæ 60. sacre Professionis 38.

XXIII. Jo.

XXIII. Josephus Herrgott, qui Canonice Marbacensi etiamnum felicissime præest, curis tamen (ut fatetur in suis Litteris ad me datis) propè exhaustus. Restarent vires superi, ac in annos adhuc plurimos servent incolumem! fiat!

MARBACENSE,

Aliud paris quidem nominis ac Regularis Professionis, discrepantis tamen sexûs, nempe Sacrarum Virginum seu Regularium Canonissarum Domicilium, recensito Virorum asceterio ferè conjunctum; quod idem strenuus ac prænobilis Dominus Burcardus antè dictus itidem de propriis facultatibus suis instituit, seu novum fundavit; post aliquod tempus verò translatum fuit ad fundum *Wasserfall* nuncupatum; tum etiam secundâ vice suo loco motum stabilitatem accepit in loco *Schwarzenbach* appellato; ubi in hodiernum usque diem visuntur rudera Religiosæ mansionis cujusdam antiquitûs inædificatæ, eaque ætate nostrâ communiter *das Clôsterlein* appellari solita, & (nisi fama publica fallit) in festis solemnioribus per anni circulum occurrentibus de media nocte suavissimus auditur concentus plurimarum Virginum diversas laudes in simul decantantium resonare. Tandem eadem Regulares Canonissæ istæ translatae fuerunt in Sundgoviam, ubi procul Ensisheimio aliud sibi construxerunt domicilium quoddam *Schönensteinbach* suo nomine dictum; de quo pluribus infra.

MAREOLUM.

Mareoli apud Attrebatum Abbatia vetustissima est Sanctorum Amandi, & Bertiliae, ubi Sancta isthæc Bertilia quiescit. Fundata à Fulberto Attrebatensi Episcopo, Ducis Brabantiae filio, pro Canonicis Regularibus; quia Fulbertus Stephano Elatio in Episcopatu successit anno 895. & obiit 956. Lotharius Rex, ad instantiam Emmæ Conjugis bonorum Mareolensi Cœnobio à S. Bertilia aliisque factam collationem, anno 977. Diplomate sanxit, ac fixam habuit. En præsto idipsum ex Locrio: *In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis divinâ præordinante gratia, Rex Lotharius: Si in divinis cultibus Ecclesiam Dei ad summum Sanctæ Religionis statum suscollere conamur, ab ipso omnium bonorum Remuneratore confidimus nobis fore compensandum. Igitur notum esse volumus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus & futuris, quoniam nostræ dignitatis præsentiam dilecta Conjux nostra Emma adiens nobis retulit dolendo, quoddam Cœnobium, à Venerabili Fulberto Præsule sub Regulari Canonicorum norma, nobiliter secus Attrebatum, super salis fluenta olim constructum fuisse, quod situm est in villa, quæ dicitur Mareolum, nunc verò penitus destructum per violentiam sæcularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Episcopi, remotis inde omnibus, quæ prædictus Fulbertus, ejusque Successores tradiderunt Cœnobio S. Amandi & S. Bertiliae, ad opus Fratrum ob remedium animarum suarum nostrorumque Antecessorum. Quocirca prælibata Conjux nostram reverenter expetiit munificentiam, ut concessas res, præcepti nostri munimine, jam dicto Monasterio corroborare dignaremur. Nos vero interventu dilectæ Conjugis nostræ Emma fidelisque Dridonis, ob spem divinæ remunerationis, pro statu & incolumitate Regis nostri, piæ petitioni assensum præbuimus, & jam dictas res Canonicis prælibati Monasterii reddi præcipimus: scilicet Mansum in Dominicatu, quod Fulbertus Episcopus dedit Eis in villa, Molendinum unum, situm coram manso Ecclesiastico & decimas quatuor Molendinorum, quas Præsul Engrammus eis contulit. Similè modo mansa duo in jam prædicta villa, & sedes duas in terra arabili & bonaria 24. ad Opus Fratrum ipsius loci; medietatem etiam Caminæ datam ab Andremaro Præposito ipsius loci, ut habeant firmiter & perpetuò, nemine inquietante possideant: ea scilicet ratione, ut cunctis diebus vitæ eorum, pro nobis & totius Regni statu militare jugiter satagant. Et ut hæc nostræ Corroborationis concessio plenissimum obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Datum Lauduni Clanati anno 977.* Sic ille ex vetusto Codice ejus loci. Ex quo Diplomate vides, ab initio Mareoli Canonicos institutos fuisse Regulares; licet dein in Sæculares evaserint: nam scribit idem Locrius unâ cum Myræo, Mareolense Cœnobium ab Alviso Attrebatensi Episcopo fuisse anno 1144. reformatum, sæcularibus Canonicis, qui inibi negligenter Domino serviebant, dimissis, admissis verò Regularibus: quibus primus Abbas præfuit D. Balduinus Bailliolanus, qui etiam Furnis in Ecclesia beati Nicolai cum laude præfuerat: aliàs Canonicus Reg. Aquæcurtensis. Hujus autem Abbatiae, quæ una est ex 26. Abbatiiis, quæ spectant ad Congregationem Arosianam, Abbates Antistites hi sunt:

I. Balduinus de Bailleuil obiit 1171

II. Martinus, obiit 1191. instituit Fratribus refectionem plenariam piscium & vini.

Tom. V. Cap. Reg. Origenes.

L

III. Wal-

III. Walterus.

IV. Robertus, prius Aroasiensis Abbas, electus an. 1206.

V. Petrus, patriâ Anglus, successit Roberto an. 1207. qui cum per annum tunc præfuisset, rursus priori præfecturæ est redditus. Fuit hic Petrus prius Aroasiensis Canonicus, indè Abbas de Doadévilla & de Valencenis. Cum præfuisset annos 14. spontanea voluntate Abbatiam dimisit anno 1221. atque ad locum Professionis suæ rediit.

VI. Petrus II. Attrebato oriundus, abeunti alteri Petro, sufficitur 1221. & per annos 24. locum moderatur, quo tempore amplas possessiones monasterio suo acquisivit. Obiit an. 1244. cui subrogatus est

VII. Michael, eodem in pago natus, Mareolo scilicet: cui paulò post è vivis erepto, substitutus est

VIII. Joannes de Wangnart, patriâ Cluniacensis, qui obiit an. 1248. successit

IX. Everardus Bretel Attrebatensis, subsequens autem XIX. Antistitum, hinc indè operosè collectorum ordinem quia ignoramus, inquit Locrius, eosdem serie Alphabetica recensimus.

X. Ægidius le Grant. Is chori subfellia atque principis altaris tabulam fieri curavit. Sedebat an. 1455.

XI. Antonius de Allongeville.

XII. Antonius de Caverna.

XIII. Eustathius de Risto.

XIV. Franciscus de Becourt.

XV. Gerardus.

XVI. Hugo.

XVII. Jacobus I.

XVIII. Jacobus de Bay.

XIX. Joannes Brocars.

XX. Joannes Chevaliers.

XXI. Joannes Nodoul.

XXII. Nicolaus Hustius.

XXIII. Petrus de Marcenis.

XXIV. Renoldus.

XXV. Robertus II.

XXVI. Stephanus de Vennis.

XXVII. Thomas I.

XXVIII. Waleranus.

Ordinem resumo inquit Locrius.

XXIX. Robertus le Roy III. molitoris filius, Cœnobium cum ædificiis tum suppellectile admodum auxit, & illustravit, strenuè rem gessit, & creditam sibi spartam implevit. Obiit An. 1525.

XXX. Joannes de Busquoy.

XXXI. Paschasius Cretel. Obiit an. 1551. postquam 18. annis præfuisset.

XXXII. Joannes Brassart. Obiit 1553.

XXXIII. Nicolaus Lietart. Obiit an. 1583.

XXXIV. Thomas Jacquart. Obiit an. 1594.

XXXV. Bonaventura la Feure. Huc usque Locrius.

Anno 1624. teste Pennotto Lib. 2. Cap. 38. præfuit huic Abbatix D. Joannes antea Prior Monasterii S. Andreae Diocesis Audomarenensis, qui multa, ut inquit, sollicitudine eidem quoad spiritalia, & temporalia instaurandæ operum strenuam impendit &c.

MARIÆBERGENSE,

Seu *Mons S. Mariæ Virginis* taliter intitulatum, *Augustiniani Ordinis* (Canonissarum Regularium) celebre olim Monasterium propè Helmstadium in Ducatu Brunsvicensi fundatum anno Christi 1181. à Wolframo Comite de Kirchberg Abbate Werthbinensi & Helmstadiensi in monte Beatæ Virginis, inductâ Coloniâ Virginum ex Monasterio Stättenburg. Ita Gabriel Bucelinus Part. 3. pag. 93. verum omne Parthenum istud jam pridem cum damnata Religionis Orthodoxæ subversione merissimè defecit, vix nomine illius seu memoriâ posteris relictâ.

MARIÆBURGUM,

Florentissimum ætate nostrâ Sacrarum Virginum contubernium intrâ fines Dioceseos Eystadianæ situatum, cœpit anno Christiano 1492. eique recens instituendo feliciter ansam præbuit B. Stilla Virgo hodie dum id loci miraculis clara; quæ ex nobilissimo (uti refert Raderus in Bavariâ Sanctâ Vol. 2. fol. m. 244.) Comitatu Schyrensi stemmate procreata sub annum à millesimo centesimo undecimum vixit in arce paternâ haud procul Abenspergâ Norici civitate non minùs virtutibus, quàm gemmanas Parcæ ei manus injecerunt, cùmque funus ducere (inquit Gretserus in Divis Eystettensibus pag 382. apud eundem Raderum citatus) tentarent Hailbronnâ, notam Sueviæ civitatem Imperialem, ubi Fratres requiescebant, nullâ ratione id loco moveri potuit. Junctis ergo curru equis liberos abire siverant sine ullo aurigâ aut Rectore. At illi sacrum onus deportârunt ad templum, quod ipsa extruxerat, & in quo tumbam elegerat, nec sine cœlesti approbatione; nam cùm quadam die B. Stilla ex arce paterna Chirothecam suam dejecisset, hoc adjuncto, ibi sepeliar, ubi hæc Chirotheca fuerit inventa, non alibi quàm in templo abs se condito reperta est, & eo qui dem loco, quem pro sepulchro occupat. Stetit templum solum usque ad annum Christi 1382.: quo tempore Wilhelmus Episcopus Eystettensis Cœnobium Sanctimonialis adjicere cœpit, accitis Virginibus ex Mariæ Lapide juxtâ Eystadium, quæ Religiosæ vitæ fundamenta ponerent; quod Monasterium (hodie communiter *Mariæburgum* suo nomine dictum) postea & frequentia & pietate admodum effloruit, ut Patrii Norinbergenses magis præcipuas suas isthuc filias Deo servituras missitarent. Porro ad templum B. Stillæ quamvis nondum excitato Monasterio concursus fieri cœpit à vicinis Norinbergensibus, Weissenburgensibus, Anspacensibus, & ab aliis, qui beneficia impetrata B. Stillæ testabantur donativis, votivisque tabellis, prout olim quoque ad Sepulchra Martyrum fieri consuevit. Sic ille loco citato. Et paulò post: vidi & ego Germanicè conscripta quinquaginta quoque manifesta sanè & evidentia miracula B. Stillæ suffragatione perpetrata; nam cæcis visus est redditus, claudis incessus, surdis auditus, pestilentia depulsa, dolores capitis sedati, semi-mortui à limine mortis revocati, & plura alia supra vires naturæ gesta, quæ insignem hanc Comitissam Christo Sponso charissimam & gratissimam perspicuè ostendunt. Miraculorum magnitudine & multitudine commotus Gundekarus secundus hoc nomine Episcopus Eystettensis altare in memoriam B. Stillæ erexisse fertur. Sed ratio temporis obstat, nam Gundekarus diem supremum obiit juxtâ Bruschiûm de Episc. German. Tom. 1. cap. 10. anno 1019, quo anno Beata Stilla nondum nata, certè nondum nota erat, alius ergo hujus Altaris conditor quærendus erit, nec plura dicenda sunt de B. Stillâ. Et hæc Raderus antè citatus. Nunc pro pleniori notitiâ juvat isthic apponere ipsas primæ foundationis Mariæburgensis litteras; quarum Copiam in rem præsentem subministravit nobis instructissima Bibliotheca Rebdorffiana, & sic illæ sonant: Dei Gratiâ Wilhelmus Sanctæ Aureatensis, aliàs Eystettensis Ecclesiæ Episcopus SS. Moguntinæ Sedis Archi-Cancellarius universis & singulis Christi fidelibus præsentibus & futuris salutem in Domino sempiternam &c. Deum nobis credimus habere propitium, atque pastoralis curæ certam gerere sollicitudinem, cùm votis tendentium ad melioris vitæ frugem favoriosè annuimus, conamurque, ut nostra opera & diligentia ad rectum & laudabilem perducantur effectum, & finem, quæ bono sunt inchoata principio. Sanè pro parte devotarum Nobis in Christo dilectarum Filiarum & Virginum Catharinæ Habermayrin, Sapientiæ Siberherin, Spei Goldschmidin, Scholasticæ Krelin & cæterarum Sororum in novo Monasterio Mariæburg appellato, circa oppidum nostrum Abenberg nostræ Diocesis apud S. Petrum Apostolorum Principem haud ita pridem per nos dotato, erecto, & instituto sub regulâ in communi viventium & professorum oblata nobis nuper petitio continebat, quod cùm nostro ex jussu & obedientiâ de Monasterio Mariæstein ejusdem Ordinis & Diocesis ad locum prædictum cum cæteris Virginibus de Königshofen eandem Regulam Sancti Augustini professis translatae essent, ut inibi adjunctis sibi sui propositi Sodalibus & in posterum adjungendis in simul sub præfatâ Regula & Constitutionibus annexis in communi ibidem in Deo viverent, novamque Sanctæ Religionis plantationem manutenerent, & in melius perducerent, nunc ut Deo salubrius famulari possent, ad eos, quibus præfatum locum dotavimus redditibus quosdam agros, tigna, pratæque coemissent cum quibusdam censibus annuis, fructibus, privilegiis, & redditibus tam in pecuniâ, quàm in oblati sibi & prædicto loco misericorditer datis & attributis eo animo, ut locus ipse per Nos eidem novo Monasterio donatus & appropriatus in debitâ stabilitate & Religionis decore persisteret, personæque illic degentes in sacrâ obedientiâ, paupertate, & continentia sub

præfatâ S. Augustini regulâ perpetuò in suis ac sequacium suarum personis cum Dei auxilio valerent militare, ob id humili prece rogaverant, ut Nos pro Dei gloria, Gloriosaque Virginis Mariæ, ac totius Curia Cœlestis & specialiter Sancti Confessoris & Episcopi AUGUSTINI Canonorum Regularium, ut præfertur, nunc & futuro semper tutius habitarent, & viverent cunctis temporibus, atque locum istum ac personas cum suis attinentiis sub Nostrâ Successorumque nostrorum Ecclesiasticâ protectione & tuitione sumere, & cum privilegiis ac libertatibus Ecclesiasticis dotare, & autorizare cum suis terminis, finibus, ac omnibus proventibus, censibus, redditibus, sylvis, curiis, pratis, hortis, agris datis & appropriatis ad loca & personas antedictas dandis & appropriandis, eisque proprium Sacerdotem seu Confessarium Regularem vel Sæcularem, qui eis Ecclesiastica Sacramenta administret in ipso loco Ciboriumque Venerabilis Sacramenti cum oleo sacro in oratorio suo proprium, & sepulturam cum familiaribus suis in suo Monasterio habere ab omni jurisdictione in hujusmodi negotio exemptam à Plebano, locum denique ipsum pro Religioso loco & Domo Sororum perpetuò autoritate nostrâ ordinariâ instituere, facere, fideliter tenere, & confirmare dignemur de gratia speciali. Nos igitur Supplicationibus hujusmodi tanquam piis justis & devotis favorabiliter annuentes, & in augmento divinæ gratiæ pariterque Christianæ Religionis in Domino ob gloriam & laudem Omnipotentis Dei, Sanctæ Mariæ Virginis, ac totius Cœlestis Hierarchiæ, specialiter Beatissimi Confessoris ac Pontificis Augustini, ac augmentum divini cultûs, quem nostris temporibus cupimus ampliari de Venerabilium ac egregiorum Devotorum Nobis in Christo Dilectorum Wernheri de Wolfseck Decani, totiusque Capituli nostræ Eystettensis Ecclesiæ assensu & consilio in præsentibus his indulgemus, concedimus, & consentimus, ut in prædicto loco, qui nunc Mariæburg appellatur, Domus sive habitatio Religiosa cum attinentibus necessariis pro includendis Sororibus sub Regula S. Augustini Canonorum Regularium cum certis statutis & constitutionibus, sicuti ad instar per Nos in Mariæstein annexis & annectendis futuris perpetuò temporibus inibi constituendis constituatur, conservetur, & plenius erigatur, atque proprium habeant Sacerdotem & Confessarium Sæcularem vel Regularem, qui eis cum suis familiaribus in suo Monasterio Ecclesiastica, prout superius exponitur, Sacramenta, scilicet Sacramentalis absolutionis, Venerabilis Eucharistiæ, extremæ unctionis, & Ecclesiasticæ tradat sepulturæ absque omni impedimento & contradictione Plebani in Abenberg, qui pro tempore Wolfgangus Harpfer nuncupatur, prædictis Sororibus de quotâ pro Parochialibus juribus, qualiterque jure seu consuetudine debitis aut debendis Sorores prædictæ prædicto suo Monasterio pro se & intra septa ejusdem Monasterii commorantibus sive decedentibus singulis annis Plebano & Successoribus suis unum florenum Rhenensem usualem solverent; cui pacto nos per prædictas Sorores ipsûmque Plebanum humili prece rogati consensum & nostræ Episcopalis confirmationis robur cum adjecerimus, adjecimusque per præsentem locumque ipsum per nos dicto Monasterio appropriatum, donatum aliâque loca piâ largitione Christi fidelium dicto Monasterio donata & attributa, & per dictas Sorores acquisita, unâ cum suis terminis & finibus supra dictis præsentibus & futuris assignatis & assignandis decernimus Ecclesiasticum & Religiosum, Ecclesiastica & Religiosa gaudere & potiri omni privilegio, & libertate, quibus alia Deo & Sanctis ejus data & assignata loca de jure gaudent & potiuntur, eumque ab omni potestate locali eximimus, & à jurisdictione Plebani in Abenberg volumus esse liberum & penitus in nostram Successorumque nostrorum potestatem, protectionem, gubernationem, & omnem defensionem recipimus & transferimus inhibentes ipsis Sororibus præsentibus & futuris sub pœnâ amissionis præmissorum per nos eidem Monasterio donatorum, ac eidem undecunque quæstorum, quæ volumus eo quo Nobis & Successoribus nostris commissa & liberè per Nos ac Successores nostros, & ad alios usus pios juxtâ arbitrium nostrum applicanda, & privationi omnium privilegiorum & libertatum, ne aliquem Dominum, Defensorem, Tutorem, Advocatum aut gubernatorem alium à Nobis Spiritualem vel Sæcularem quovis quæsito colore recipiant, aut eligant, ad nos Successoresque nostros sub pœnis præmissis, indignationibus Patronorum, & nostrâ gravissimâ, pro earum verò legitimo & naturali Domino, Tutore, Protectore, Advocato, & Gubernatore habeant, reputent, & recognoscant. Volumus tamen ut Plebanus oppidi nostri in Abenberg aut alius Sacerdos Regularis vel Sæcularis per nos ad hoc deputatus ipsarum Virginum in confessionibus audiendis & Sacramentis administrandis curam gerat animarum, donec Nobis aut Successoribus nostris aliter ordinandum videbitur expediri. Ad regularem verò disciplinam, & ad ea, quæ observantiæ regularis spectant incrementum, Seniori qui pro tempore in nostro Rebdorffensi Monasterio fuerit, subsint, qui etiam suis temporibus de nostro aut Successorum nostrorum consensu in domo prædictarum Sororum toties quoties opus videbitur, assum-

assumptus per Nos aut Successores nostros deputandus visitare aut reformare in melius, quæ non convenire observantiæ Regulari, invenire potuerit, in omnibus tamen authoritate nostrâ salvâ semper & integrâ, tenore præsentium pari modo inhibentur, ne inibi ponantur aut recipiantur Sorores nunc & in futurum plures, quàm ex facultatibus loci & Congregationis congruè vivere aut sustentari poterunt. Et quò in hoc Canobio salubrius consulatur, cum turpius sit ejicere, quàm non admittere, volumus, ut nulla nisi de nostra aut Successorum nostrorum expressâ licentiâ recipiatur, contrariam receptionem unius aut plurium decernentes irritam & inanem ipso facto. Demùm in signum Domini quod Nobis & Successoribus nostris tam in personas quàm in locum ipsum temporaliter & spiritualiter reservamus, volumus, ut singulis annis in Vigilia Nativitatis Christi Domini præfata domus nobis & Successoribus nostris dimidiam libram piperis pondere Norinbergensi, & unum pullum carnis privialem ad granarium nostrum in Abenberg solvat, & per aliquem Domûs prædictæ officialem seu familiarem cum effectu faciat & procuret præsentari, nec hujusmodi census à Nobis aut Successoribus nostris augeri debet. In quorum omnium fidem & robur, perpetuamque firmitatem & rei memoriam præsentès desuper fieri litteras, ac nostrorum Episcopalis ac Capituli sigillorum jussimus & fecimus appensione communiri. Et Nos Wernherus de Wolfskeel Decanus, totùmque Ecclesiæ Eystettenis Capitulum recognoscimus, quòd diligenter præhabita deliberatione ac Capitulariter congregati præmissis omnibus consensum & consilium præbuimus & damus, sigillum majus Capituli nostri in fidem & testimonium apponi fecimus. Acta sunt hæc & data Eystadii die vicesima quarta Mensis Novembris Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

Venerabiles Antistites, seu (uti vocantur) Priorissæ Mariæburgenses.

I. Catharina Habermayr ex Weissenburgo oppido Imperiali in Norico honestis parentibus prognata, unâ cum Religiosis Consodalibus supra recensitis, anno gratiæ 1491. ad novum hoc Mariæburgense Claustrum ex Parthenone Mariæsteinensi deductis, prima omnium Religiosas faces indepta, post expletos 34. sui regiminis annos sub annum Christi 1525. die 10. Augusti pientissimè terris defuncta, atque in ambitu novi Claustrum condigno honore recondita, in antiquioribus Chartis seriò laudatur, fuisse *admodum pia summaque devotionis femina.*

II. Eugenia Kaynirin de proprio gremio capitulariter electa, incidit in tristia tempore novi tumultuantis Lutheranismi, qui sub annum 1526. passim in tota vicinia Mariæburgensi incrementa sumpsit; dum tamen interea temporis piissimæ Vestales augustinianæ gravissimas etiam inter persecutiones suo loco firmissimè perstiterunt usque ad annum 1535. quo tempore Augustissimus Romanorum Imperator Carolus V. per partes istas transiens, dum utriusque Religiosissimi Parthenonis Mariæburgensis istius & alterius Pildenreutensis singularem regularis observantiæ zelum certâ ac fideli relatione comperit etiamnum perdurare florentissimum, mœstas suavissimè consolatus, utrique sat magnam coram enumerari fecit pecuniarum summam. Eugenia verò Magistra devotissima, quamvis gravissimis jugiter afflicta calamitatibus, haud tamen omninò fracta, usque in diem mortis suæ constantissimè perduravit; undè Consolator Optimus eam mirificè recreavit, quando nimirum in nocte Nativitatis Domini, dum pientissima Mater, anno terrestri vitæ suæ ultimo, in sacro Odæo cum aliis divinæ psalmodiæ insisteret, personatus quidam Juvenis vultu quasi Angelico coruscus iterum atque iterum (uti sanctè testantur Annales Domestici) ipsam ad Claustrum portam evocari fecit, & dum suavissimè renidens litteras quasdam pientissimæ Matri ad manus tradidit, illicò disparuit, cæterâ nemini cuiquam visus. Taliter ergò Eugenia per nuntium cœlestem ad nuptias agni solemniter invitata, quasi una de numero prudentum Cœlesti Sponso rectissimè præparata Christo Domino obviam processit, paucis nimirum post diebus carne mortali resoluta, atque intrâ Claustrum suum pientissimè tumulata; cujus sub Regimine disciplinæ Regularis observantiam & quidem rigidissimam & ad sanctioris vitæ morum nitelam apprime compositam, Partheniis Domicellis Mariæburgensibus sub id temporis imprætermisè & plusquam laudabiliter usurpatam, cœlo benè fuisse gratam, multis ac variis quandoque Deus testatus est miraculis, in certam rei confirmationem passim editis, qualia sunt visiones cœlestes, quibus devota illæ Christi famulæ sæpè sapius fuerunt recreata: item Ange-

lici Spiritus de nocte inter preces matutinas Monasterio desuper imminere clarissimâ luce refulgentes, quandoque ab exteris loco vicinis jucundissimè deprehensi; tum etiam vitæ naturalis præternaturalis sustentatio, nemini non admiranda, utpotè sine quavis alimonia corporali cum Eucharistico solùm Epulo ad plures etiam annos continuata: exanimata quoque corpora quamvis altiùs humo de fossa, post longiorem tamen temporis intercapedinem suavissimo odore fragrantia, nec non plura alia rara Sanctimoniam specimina Posteris in consolationem seu imitationem & exemplum relicta.

III. Esther Gerhardin, priùs Domesticæ œconomiam ministerio sat diu impigrè perfuncta, difficillimis sanè temporibus præfuit, siquidem graviores calamitates (dum scilicet, efferis Novatoribus per omnem Viciniam adeò tumultuantibus, omnia sùsque deque vertebantur) ipsam è vestigio secutæ, totum Mariæburgum tantùm non omninò miserrimè deperibant. Unde Religiosissima Magistra Esther tantis malis ex omni parte plusquam fortiter imminentibus admodùm perterrita, ac planè timore dubia sibi, suisque de meliori vel pro posse providens, redituum annuorum defraudationem, œconomiam perturbationem, rei divinæ cessationem, imò totius Religiosæ Domus invasionem quasi in proximo futuram imò & præsentissimam contuens ac plenis oculis delibans Ordinario suo sub annum 1555. demissimè supplicavit: Reverendissima Celsitudo sua in tam perturbato rerum statu Clementissimè disponere dignetur, quoniam tandem immigrarent, & in tutum sese reciperent devotissimæ animulæ Clientes ac filia verè tristissimæ; quapropter hujuscemodi malis vel pro posse saltem avertendis in tempore obviam itum, ac proin potiores Domicellæ Mariæburgenses ad firmiora Professionis Canonico - Augustinianæ Monasteria fuerunt digressæ; Ipsa verò Venerabilis Domina Esther antè dicta vel cum paucissimis aliquot, quoad fieri potuit, Domicellis in Claustro suo Substitit, donec tandem hostili persecutione nimium quantum invalescente, & Ipsa quoque Religiosissima Mater pariter loco cedere coacta cum duabus pedissequis seu Laicalibus (uti vocant) Sororibus ad Claustrum Mariæsteinense declinavit, ubi ad decenium hospitata demùm anno Christi 1571. remeavit ad propria, qualem qualem saltem rebus afflictis medicinam adhibitura; at frustra solùm, siquidem paulò post Religiosissima Mater ista sub finem ejusdem anni desuper evocata. Creatori suo Spiritum vitæ reddidit die 5. Decembris.

IV. Othilia Höldin ex Parthenone Mariæsteinensi desumpta, Canonicè subintravit, quando nimirum Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps ac Dominus D. Martinus S. R. I. Princeps & Episcopus Eystettensis suum Mariæburgense Cœnobium post sustentatam tristissimam 26. annorum desolationem è cineribus suis omnimodè restituere satagens anno gratiæ humanatæ 1588. novam illi immisit Coloniam, atque istam ex memorato Claustro Mariæsteinensi desumptam; cui nomen dederunt Venerabiles Domicellæ seu Conventuales Canonissæ sequentes: Othilia Höldin Ingolstadiana: Ursula Rhelingerin Patricia Augustana, Anna Hemerlin, Christina Heimbschin, & Euphrosina Pürcklin omnes istæ Chorales; tum Petronilla Plattenmüllerin, Afra Gelderin, & Anna Henslerin Conversæ seu Sorores Laicæ: quæ in Priorissam ac Religiosam Matrem suam salutârunt memoratam Dominam Othiliam; in Suppriorissam verò sibi delegerunt Ursulam Rhelingerin itidem antè dictam; quibus pro instauratione Cœnobii quandocujus faciendâ Perillustri ac Generoso Domino N. Liber Baro de Birnheim anno 1599. legavit 37000. florenos: item alios quoque census irremediabiles de futuro quot annis solvendos. Præterea quoque Martinus Princeps & Episcopus antè dictus ad facta tecta Regularis Claustri hujus convenienter instauranda de propriis redditibus suis lubens impendit 4000. florenos. Venerunt etiam in partem hujuscemodi restaurationis pro posse celeriter exequendæ Nobilissimæ quatuor Matronæ Agnes Lochingerin; Anna Welwarthin; Barbara de Bernhausen, & Maria de Welden; quarum gratæ memoriæ seu Piis Manibus ipsarum in Ecclesiâ Mariæburgensi quinquies per annum solemniter parentatur. Rebus itaque Mariæburgensibus sat benè coordinatis sæpè fata Venerabilis Domina Othilia gravem adeò Claustralis Regiminis sui sarcinam deponere instantissimè petiit, quod & feliciter obtinuit, unde tandem post 27. annos in Religiosâ Superioritate traductos nativam Religiosæ Professionis suæ Domum, seu Mariæsteinense Cœnobium repetiit, ubi reliquis vitæ suæ diebus animæ saluti unicè intenta tandem in Domino requievit atatis suæ annò 80. Religiosæ Professionis 71. Christi verò 1626.

V. Euphrosina Pürcklin Augustana, itidem Mariæsteinensis Professa Prioratum Mariæburgensem occupavit in id canonicè delecta sub annum 1614. infausto tamen omine, ob publicam nimirum Patriæ quietem gravissimè turbatam, Authore Mansfeldio

dio grassatore famoso, hæretico impio ac sacrilego, cum Confœderatis unius ejusdemque farinae Rabulis totam circum circa Regionem, sed vel maximè fundum Mariæburgensem plusquam hostiliter infestantibus, quo circa Monasterio isto intrà breve tempus ad teruncium usque miserrimè spoliato, Venerabilis Domina Priorissa ista cum suis solum vertere, & ad commune asyllum Mariæsteinense refugere coacta, toto reliquo vitæ tempore afflictissimum Parthenonis sui statum jugibus lachrymis amarissime deplorans, præ mærore contabuit, & postquam ceu Mater dolorum annis 16. & mensibus novem Claustrale sceptrum tenuit, carne mortali resoluta cœlis immigravit anno 1630.

VI. Christina Heumbſchin itidem cum suprâ dicta Mariæsteinensi colonia sub annum 1588. Mariæburgum deportata, prædicto anno 1630. in Claustralem Antistitam concordibus suffragantium votis fuit delecta, siquidem cum indolem ipsius, mores item & merita comprobè perspecta haberent, Religiosæ Confodales facilius consenserunt, ut reliquis antè habita Mater de Clauſtro fieret seu Regularis Priorissa, quæ tamen eadem ipsa paulò post ingravescente bello Suecico cum suis pariter in fugam acta, ad Parthenias Confodales Mariæsteinenses abiit; sed neque hîc (impetuoso bellorum turbine perstrepenſe) quietè subsistere tollerata, partim Eustadii, partim verò Ingolſtadii tristis admodum exulavit, quousque tandem ad patrios lares concessa, juxtâ tamen gravi senectâ & corporis humani viribus exhausta, sub annum 1643. sponte suâ Religiosæ Dominationis fascibus exuta, adhuc ampliùs superstes mansit usque ad annum 1650. quo decurrente, non unius solum lampadis pientissima mulier ista tertio decimo calendas Novembris naturæ debitum solvit ætatis suæ anno 87. Religiosæ verò Professionis 63. Silentio præterire non decet, quod noster Joannes Grueber in theatro virtutis Canonico-Augustinianæ M. S. de Priorissa hac pientissima litteris consignatum, his, quæ subjungo formalibus curiosæ posteritati reliquit. Humilitatis, observationisque silentii in Cænobiis benè morigeratis, usitati perquam studiosa fuit. Haud dubiè ob præclaræ virtutis suæ merita Deus eam solatio paucis concessit eo, qui ipsi postremus fuit anno, perfundere voluit. Res sic accidit die secunda Februarii iustratæ Virginis in templo Hierosolymitano sacrâ anno 1650. cum de nocte circa horam secundam surgeret, atque lucente Luna ad sacrum Odæum precibus ibi vacatura pergeret, senem canitiæ venerandum ac moribus gravem Chorum pertransire, atque manè Sacerdoti ad aram rem divinam peragenti inservire conspexit. Imaginabatur sibi primò Christina, an fortè Cænobii porta clausa non fuisset, unde aditus Viro huic faciliè patuisset, verùm cum portam probè de more obseratam invenisset, non levi augurio senem illum fuisse Simeonem, cujus in sacra D. Lucæ historiâ laus, constanter tenuit.

Annales Domesticæ hujus etiam temporis egregiè satis commendant tres Nobiles Viros natione Italos, qui fuerunt Benedictus Georgius Florentinus, Camillus Columbanus Senensis, & Octavianus Lumago Plurſiacus Rhætus, omnes isti professione suâ Mercatores inclyti, qui Thaumaturgæ Mariæburgensi Beatæ Stillæ specialiter devoti sæpè sæpiùs maximè verò diebus Ecclesiæ Romanæ-Catholicæ solemnibus ad sepulchrum illius diligentius invisentes vota sua fidelissimè reddiderunt ei, quem ex tota mente, & ex totis viribus Omnipotentem laudaverunt in Sanctis suis. Pecuniarum summa in favorem depauperati Cænobii hujus à memoratis Benefactoribus gratiosè persoluta fidem credentium excedit, unde memoriam illorum apud B. Parthenias Dominicellas istas jugiter in benedictione est quinquies per anni circulum de more celebranda.

VII. Maria Salome Wollmannin jam numerò quinta ex lapide Mariano postulata, & authenticè confirmata, juxtâ tamen ægerrimè solum pro Religiosis fascibus de posthac gerendis fuit exorata, utpote jam senectâ ætate fessa, sed tamen vitam simul ac Claustrale regimen produxit usque ad annum 1656. quo currente quarto Idus Junii placido sopore mortis temporalis in Domino requievit, eadem hæc Venerabilis Antistita de sedulâ suscepti Regiminis administratione peregre in tabulis commendata.

VIII. Maria Marthalerin jam anili licèt senio gravida, ac pluribus annis sedulâ rei familiaris administratione fatigata, nihilominus tamen anno 1656. ad claustrale regimen de posthac quasi violenter attracta, & in id autoritate ordinariâ de more solemnè confirmata, toto quo laudatissimè præstitit Claustralis admonitionis suæ tempore fuisse proditur orationi mentali impensè dedita, simul & in id unicè intenta, ut cul-

tus divinus statuti horis ac temporibus tam diurnis quam nocturnis debito modo celebratur; unde & pro majore officii Ecclesiastici splendore suâ autoritate figuralem etiam (uti vocamus) Musicam instituit, item œconomix statum & augmentum illius strenuè promovit; quo circa ter à Domino benedicta præsentissimam Dei manum sibi semper adesse quasi manifestè comperit, quo usque tandem decrepitâ ætate haud tamen laboribus exhausta plenam sui muneris abdicationem meditatâ adhuc semel plusquàm grandè malum vel invita sustinuit, dum feliciter Vulcanus ex insperato totum ferè Mariæburgum miserabiliter absumpsit solâ Monialium habitatione ægrè servatâ, quando nimirum præter templum & Capanile omnem etiam Suppellectilem facram pertinacissimè deperivit; quibus tamen malis omnibus Superior Maria hæc nostra Venerabilis Priorissa uno adhuc anno superstes mansit, ac demùm vitam temporalem exiit anno 1679. in ambitu honorificentissimè recondita, eadem hæc apud Posteros de singulari vitæ pietate, & gratâ animi mansuetudine mirificè commendata.

IX. Maria Ludovica Baumgartnerin Eustadiana, jam numerò sexta de Venerabili sæpè fato Contubernio Mariæ lapidis evocata, rem sacram simul & œconomicam totâ sollicitudine & assiduâ vigilantia potenter restituit, unde & de singulari industriâ illius tota novi templi structura feliciter emerit, nec non alia quoque Religiosæ Mansionis hujus habitacula pariter in integrum fuerunt restituta. Præter hæc eadem ipsa Vigilantissima Domina perpetuam quoque & copiosam satis aquarum scaturiginem in proxima sylva recens adinventam, per longos terræ meatus ad Claustrum suum usque deduxit, usibus quotidianis admodum proficuum & accomodam, item & aliis pluribus titulis strenuè promerita, & quamvis adhuc in viridi ætate constituta, pessimè tamen phytis plusquàm fortiter afflicta nullo mediante Æsculapio mori coacta fuit, novo in restaurata Ecclesia Mariæburgensi excavato sepulchro condigno honore sepulta calendis Julii anno 1683.

X. Maria Paula Wagnerin Monacensis Bavara communi suffragantium calculo pro meritis electa, atque autoritate ordinaria legitimè confirmata, ætate quidem physicâ (prout apparuit) adhuc juvenula, prudentiâ tamen & morum gravitate senex admodum, regendique magnanimitate nobilissimè prædita. Christi dictum: *Quarite primò regnum Dei*, continuo præ oculis habens, promovenda divinæ gloriæ, & disciplina Religiosæ conservandæ omnes conatus impendit. Singulis annis Regiminis sui Ecclesiæ ornatum notabiliter auxit. Orationi vocali & mentali deditissima, integras horas in ejusdem exercitio impendit. Sanctissimum Jesu nomen, erga quod tenerrimè afficiebatur, cultello pectori insculpsit, quod post beatam ejusdem mortem cruentis adhuc characteribus visibile apparuit. Singularem modestiam non in verbis tantum sed in actionibus singulis prætulit, erga pauperes fuit misericors, erga proximum charitate plena, erga subditas sibi filias verè mater amabilis & benigna erga omnes, absque personarum acceptione. In adversitatibus erectum semper animum gessit, in divinam voluntatem resignatissima, præsertim autem diuturno morbo vexata admirandum omnibus patientiæ exemplum præbuit. Præfuit summa cum laude sexdecim annis, duobus mensibus cum dimidio. Animam Creatori inter ardentissima ad Cælum suspiria in corona filiarum complorantium reddidit Anno 1698. Quarto Novembris. Anno ætatis suæ quinquagesimo quarto.

XI. Maria Jacobe Settelin, unanimi eligentium calculo Parthenio cætui præesse jussa est, Antistitæ præcedentis non tantum connovitia, sed etiam ejusdem maximarum virtutum hæres, anno 1698. 29. Decembris. Oeconomix præfecturam per annos plures administravit cum insigni Mariani Castri emolumento. Tempore belli Bavarici, quod altero mox Regiminis sui anno exarserat, multas tribulationes perpeffa, heroum animum nunquam dimisit, in Deo spei suæ anchoram figens, à Conventu non discessit, & pro oviculis sibi commissis instar muri inexpugnabilis stetit. Face Belli extincta, dispersas maturè revocavit ad caulam, maternè fovit, & viscera charitate plena omnibus ostendit. Duodecim annis ac septem mensibus curam pastoritiam gessit. Tandem anno 1711. tertio Augusti ad Cœlestem Sponsam avolvit sacris morientium Sacramentis crebrò munita, extremæ ejusdem horæ præsentibus Filiabus omnibus, quas vivens rexit, & usque ad mortem dilexit.

XII. Maria Francisca Klöckin, Monacensis, filia molitoris. Electa est in Priorissam 10. Septembris anno 1711. virtutes attulit delato muneri dignas. Zelata est zelum domûs Domini quoad vixerat. In pauperum greges profusissima licet fuerit, nihil tamen suis deesse passa est adeo, ut nec rimam querelis apertam reliquerit. Cultui

tui Beatæ Stillæ deditissima, venerationem illius egregiè promovit. Laudi ejusdem immortalis cedunt, quæ struxit ædificia, æternæ autem Gloriæ ingens meritorum cumulus, quo onusta per angustam cœli portam penetravit, gravi morbo ex cruento vomitu integris sensibus extincta anno 1727. 19. Aprilis.

XIII. Maria Seraphina Siglin Monacensis. Communibus votis non tam electa, quàm rapta ad Priorissæ Officium, utpote humilitatis Magistra potius, quàm alumna. Electa fuit 27. May anno Nativitatis Christi 1727. ætatis verò suæ sexagesimo quarto. Meritis tamen quàm annis gravior, singulari magnanimitate prædicta, Dormitorium antiquum, vetustate in rimas diffusum, omnino diruit, novumque magnis sumptibus excitavit. Non semel, quasi mortis suæ præscia, *Charissima filia*, inquebat, *completo edificio prima ex vobis migrabo ad domum æternitatis*, quod & factum anno 1730. Undecimo Februarii, quo ad extremam luctam christiano more ritè instructa, anno ætatis suæ 67. optimè in divinam voluntatem resignata in Domino obdormivit, cui Deum requiem donet æternam.

MARIÆBURGUM.

Aliud, seu paris quidem nominis, sexûs item & Ordinis Parthenium contubernium, in alia tamen & diversa Regione, videlicet in partibus Mosellanis sub limite Diœcesis Trevirensis constitutum, atque istud tempore & authore non notato fundatum, secundum primogenium Religiosæ Professionis suæ statum omninò disparuit, utpote juris alieni factum, ac nimirum Partheniis Domicellis quocunque demum fato procul exesse jussis, Archi-Episcopali Mensæ Trevirensi combinatum & incorporatum.

MARIÆBURGUM

Tertium hoc nomine de sæpèfato Canonico Ordine S. Augustini Venerabilis tamen Congregationis S. Sepulchri commembrum, atque istud in Ducatu Juliacensi sub limite vastissimæ Diœcesis Coloniensis hodieum, ut audio, perinclitum, cæterum Historia primæ Foundationis nobis ignota.

MARIÆ HORTUS,

Seu patrio nomine suo communiter *Maria Garten* nuncupari solitum, perillustre quondam sacrarum Virginum de Regulari Ordine Canonico-Augustiniano Religiosum Domicilium haud procul Gottinga (quæ est urbs Ducatûs Brunsvico-Calenbergici) ad Lennam amnem situata, antiquioribus Sæculis continuò claruit nobilissimis inhabitantium virtutibus plusquam abundè refertum, de cujus primis Conditoribus (qui gente Nobiles Dynastæ Ebersteinii fuisse perhibentur) benè quidem constat, non item de anno seu tempore primæ Foundationis, cujus propriam & ampliorem inquirere notitiam, vel invitos nos prohibet mutata Religio, & alius rerum status.

MARIÆ - RODE

Taliter quidem intitulum, verum id nomen primùm post primævam Foundationem suam labentibus annis adeptum, sed priùs *Bertboldi-Rode*; & sic quidem à proprio ac genuino (qui fuit Bertholdus inter Episcopos Hildesianos numerò vicessimus sub annum gratiæ 1130. mortuis accensus) Fundatore suo cognominari promeritum propè muros Hildesianos pro Sanctimonialibus Canonico-Augustinianis fundatum; inde tamen istud labentibus annis ad Ordinem Cisterciensem utcunque demùm translatum; cujus Religiosi Parthenonis, quia Casparus Jongelinus in sua Abbatum dicti Ordinis notitia anno 1640. typis Coloniensibus latinè in Folio edita rationem non habuit, haud dubiè in superiori ætate longævo bellorum disturbio simul, & Hæreticorum Comprovincialium odiò sacrilegè devastatum & extinctum omninò desit.

MARIÆ-STEINENSE,


Seu *Maria Lapis* communiter appellatum, ad Almonium fluvium in Diœcesi Eystetensi florentissimum Parthenæum noto Rebdorffensi Virorum Monasterio propiùs adsitum. Huic recens ædificando augmentum dedit Walburga mediocris fortunæ Municipis cujusdam Eystadiani filia, quæ, parentibus emortuis, in subsidium congruæ alimentationis opus textrinum edocta, vitam vivere statuit de posthac omninò solita-

riam, quam & vixit omnium testimonio integram, & sine labe puram, unà simul ad-
 fciscens sibi alias etiam puellas paris propositi sequaces, in timore Domini sedulò e-
 ducatas, ac optimis moribus imbutas: è quarum numero fuerunt Margarita Blümblin
 Ingolstadiana: Elisabetha Rohrmayrin Eystadiana: Agnes Schwabin Norinbergensis:
 Margarita Federin Eystadiana, quæ posterior jamjam maritali thoro socianda, ipsa
 die nuptiarum, derelicto Sponso, clam secedens, cum firmissimo Virginei pudoris
 nunquam non illibatè servandi proposito, novis sese confociavit Partheniis istis, quæ
 omnes pariter erant in eodem loco congregatæ, quibusque omnibus & singulis Operi
 manuali vacantibus, quæstus magnus fuit pietas cum sufficientia: ministrantibus in-
 terim necessaria piis parentibus, ac omnibus illis, quarum Filias devotariæ istæ sagaci-
 ter edocebant initium Sapientiæ, seu timorem Domini, & Artes Mechanicas adole-
 scentulis puellaribus addiscere consuetas. Porrò Virginibus istis in unum, ut dictum
 est, congregatis, paulò post ampliùs accesserunt etiam Anna & Barbara Joannis Brechtel,
 opulenti admodum Viri, ac Civis Eystadiani filia charissimæ; item ancillæ earum
 Elisabetha Egerin, ansam præbente casu quodam funesto, æquè ac infortuito, quo pe-
 riit Soror Walburga tertia memorati Brechtelii filia, vase vinario violenter oppressa.
 Omnibus ergò illis pientissimis puellis tum temporis in simul commorantibus, fortè
 tum strenuè reformatum fuit Venerabile Monasterium Rebdorffense, novâ Religioso-
 rum Canoniorum Colonia è Cœnobio Kirsgartensi Diocesis Wormatiensis isthuc
 adductâ, quorum flagrantissimo zelo ac lucidissimo raræ pietatis exemplo in ædifica-
 tionem proximi palam edito, sæpèfatæ Devotariæ fortiter accensæ, Religiosam illa-
 rum amicitiam, seu familiaritatem in salutem animarum suarum unicè perfruendam,
 fortiter anhelantes, pro hac securiùs obtinendâ certas quasdam ædes justo emptionis
 titulo sibi compararunt inhabitandas in pago quodam Eystettensibus vicino, eoque
 pro tunc vulgariter die vndere Staingrueb appellato, ex tunc verò ob Regulare
 Claustrum inibi conditum *Lapis Maria* seu vernaculâ linguâ *Maria Stain* intitula-
 to. Isthic ergò devotæ illæ animulæ in simul subsistentes, ac majore Spiritûs flammâ
 fortiter ardentes, de certo quodam Religiosæ vitæ statu piè suscipiendo apprimè soli-
 citæ, propriam aliquam Congregationem Monasticam inter se mutuò coadunandam
 unanimiter statuerunt; quarum proin unam omnium intentionem ratam gratamque
 habuit, qui manus auxiliatrices in piissimo hoc salutis animarum negotio clementissi-
 mè porrigendas lubens condixit loci ordinarius, licèt Canonicis Cathedralibus ad-
 modum obluçantibus, tum etiam pia hujuscemodi vota seu pium conatum id tem-
 poris intercludentibus fati antedicti Principis & Episcopi Joannis, seu improvisâ mor-
 te illius ex lethali veneno callidè porrecto, nefariè causatâ: cujus tamen Successori
 realiter exequenda (utique disponente Numine) reservata fuit meditata hæc novæ
 Religiosæ Vineæ plantatio, Reverendissimo ac Illustrissimo Principi ac Domino Do-
 mino Wilhelmo, qui ex avita stirpe Nobilium de Reichenau progenitus, Decretorum
 Doctor, Canonicus & Summus adhuc Cathedralis Ecclesiæ Eystadianæ Præpositus,
 quamvis etiam cum aliis Con-Capitularibus suis novæ foundationi Mariæsteinensi iti-
 dem litem moverit: inde tamen jam Sedi Episcopali impositus, sanioribus consiliis
 adductus, etiam alios in suam sententiam attraxit: undè præviâ deliberatione desuper
 habitâ, communi assensu statutum fuit prædictum fundum seu inferiorem *Staingrueb*,
 de posthac *Maria Stain*, seu *Maria Lapidem* nominare, item novis Partheniis Can-
 didatis isthuc adducendis Regulam & Ordinem Canonico-Augustinianum de posthac
 tenendum omnimodè dictare; quibus omnibus ritè constitutis, Anno Christi suprâ
 Millesimum quadringentesimum sexagesimo nono die 27. Septembris Litteræ Funda-
 tionis fuerunt apparatus, item anno proximè sequenti die 30. Martii idem Summus
 Antistes Eystadianus Wilhelmus ritu solemnè primum lapidem posuit novi Mona-
 sterii, & adspectantis Ecclesiæ, quæ eodem adhuc anno feliciter absoluta demùm die
 28. Octobris in Festo SS. Simonis & Judæ Apostolorum à Suffraganeo Eystadiano Re-
 verendissimo Domino Leonardo consecrata fuit, una cum duobus Altaribus in hono-
 rem Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, S. Joannis Apostoli & Evangelistæ,
 item omnium Apostolorum & Evangelistarum, S. Mariæ Magdalænæ, S. Vrsulæ, &
 omnium aliarum Sanctarum Virginum, ac pro tunc (uti constans habet Traditio) in
 Altari primario collocata fuit, quæ usque ad luctuosissimam Martis Aquilonaris, totum
 etiam Noricum plusquam terribiliter infestantis, tempora salva constitit, assiduis pe-
 regrinorum visitationibus, item Conventibus Angelicis, quandoque è proximo horti
 muro dulcissimè perceptis, nunquam non devotissimè honorari solita Miraculosâ Divæ
 Virginis Dolorosæ Statua.

Anno 1471. feria 3. Paschæ, quæ fuit 15. Aprilis jam suprâ memoratus Reveren-
 dissimus ac Illustrissimus Princeps & Episcopus Wilhelmus præsentibus Cathedralis
 Eccle-

NA.

am, cuius
Domini scilicet
impera Blom
in hunc modum
con uocabi, ip
Vini pudori
rheni, que
& impo Cypri
nistrum in
grie in expi
anicas uol
um, ut dicit
a Iuanis Brou
m scilicet car
omino, quo p
lumen oppre
omibus, forte
nari Religio
mensis iustic
ipso in edifice
Religionem ille
permetiam,
pulo expians
rimo, et que
en in Regiore
Sicut uocab
Spiritu hunc
appone ho
cudimozes
m granique
o dementiffi
tribus ad
id tem
pensis mo
et successoi
tr har noue
Domino Do
Deneram
impositus,
dientis it
tus collis
ne delupe
tangram
enti Cas
deputat
uili sui
re fru
Sunt
ri ho
m de
mle
ono
ellix,
, &
tio)
tot
bois
no
ob



COLLEGIUM MARIAARUM REGULARIUM S. AUGUSTINI

Joann. Frank sculpsit.



COLLEGIUM MARIANSTEINENSE DIOECESIS EISTETTENSIS IN NORICO CANONISARUM REGULARIUM S. AUGUSTINI
FUNDATUM A° CHRISTI. M CCCCLXX

Sam. Frank sculp.

Table of contents listing various entries and page numbers, including names like 'John' and 'Mary'.

Table of contents listing various entries and page numbers, including names like 'John' and 'Mary'.

Faint mirrored text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Ecclesiæ suæ Canonicis, assistente potissimum Venerabili ac Religiosissimo Domino Joanne Herdenio Priore Rebdorffensi, cum aliis quibusdam Presbyteris & Religiosis Canonicis de eodem Monasterio adductis, novum hoc Cœnobium Mariæsteinense cum ambitu intra muros Claustrales ritu consueto dedicavit: tum novæ Candidatæ coram adductæ & præsentatæ; post spontaneam facultatum suarum cessionem, nec non omnimodam jurium suarum resignationem admissæ fuerunt, & receptæ in specialem ejusdem Ordinarii protectionem à quo simul Religioso habitu indutæ sub Missâ solemni juxtâ morem decantatâ Professionem emiserunt secundum Regulam S. P. Aurelii Augustini numerò sex, nempe Walburga Eichornin, Margarita Blümlin, Elisabetha Rohrmayrin, Anna Brechtelin, Barbara Brechtelin, item Elisabetha (nomine in Professione mutato Ursula nuncupata) Egterin, quibus omnibus copia facta est, unam eligendi inter se Monasterii Priorissam, qualis ab ipsis nominata fuit & Canonicè electa Ven. Domina Walburga Eichornin antèdicta; cui autoritate ordinaria legitime confirmatæ, quinque reliquæ præstiterunt Obedientiam vigore sacre Regulæ præstandam, atque ad Claustralem Disciplinam in praxi penitiùs addiscendam unius ejusdemque Ordinis Moniales Regulari Professione suâ jam adultas (nempe de Ven. Parthenone Vallenderensi propè Confluentiam in Archi-Diœcesi Trevirensi, itidem recensendo infra) Margarita Blümlin & Elisabetha Rohrmayrin accessere, ibique per annum postmodum reformatum fuit. Cæterum dignissimum hoc Mariæsteinense Cœnobium inter primos & summè præcipuos Benefactores suos habuisse perhibetur sequentes:

Marquardum Principem & Episcopum Eystettensem, de quo pluribus infra.

Carolus ab Absperg Canonicus Eystettensem.

Joannem Georgium à Leonmordt Canonicus Eystettensem.

Joannem Georgium à Werdtenstein Canonicus Eystettensem.

Joannem Schenck Canonicus Eystettensem.

Sigismundum ab Eyb Canonicus Eystettensem.

Georgium Drexelium Canonicus Eystettensem.

Adamum Gerich Vicarium Generalem & Monasterii Mariæsteinensis Commissarium.

Jacobum Kùechner Vicarium Generalem & ejusdem Monasterii Commissarium.

Georgium Bavarix Ducem cognomento *Dives*.

Georgium Bresler civem Norinbergensem.

Georgium Steinmessel, architectum de gratuita opera sua in ædificationem Cœnobii unice ad majorem Dei gloriam strenuè collocatâ, in tabulis laudatum, & dehinc pro merito reliquis Benefactoribus accensendum.

Franciscum Cardonium, Civem & Mercatorem Augustanum cum filio suo Joanne Francisco trium Altarium fundatore.

Annam Ludmillam Comitissam à Pappenhaim & Treuchtlingen natam à Kellenbrodt.

Margaritam ab Ebernheim.

Annam ab Oettingen.

Missæ perpetuæ in quamvis septimanam dicendæ Fundatores extitere Drexelius antèdictus, Sebaldu Müller Norinbergensis Medicinæ Doctor, & Conradus Kuenshofer, qui novo Beneficio huic perpetim stabiliendo, in simul solverunt sexcentos florenos in parata pecunia numeratos: quorum omnium pientissimorum Benefactorum, item Confanguineorum illorum, nec non omnium, quorum corpora in templo Mariæsteinensi tumulata requiescunt, perennis memoria quot annis recolitur circa Festum S. Michaëlis Archangeli: quo tempore pro omnibus illis præstituto die habetur Anniversarius ex antiqua consuetudine ritu solemni celebrandus.

Taliter ergo à primâ Claustris sui fundatione Vestales Mariæsteinenses communi habitu Monialium de Venerabili Congregatione Windesimensi velatæ, sub sacra Canonica Regula S. Augustini fuerunt institutæ; cum verò sufficienter haud fuerint dotatæ, nihilominus tamen (Superis adeò faventibus) magno numero tam Choralium,

lium, uti vocant, quàm Laicalium seu Conuersarum ad triginta plùs minùs extenso iacolumes degunt, quandòque à vicinis Religiosis Canonici in Rebdorff commanentibus temporalibus subsidiis liberaliter adjunctæ. Demùm pro Coronide Descriptionis hujus Mariæsteinensis subnectere iuvat Venerabiles ac Religiosissimas Magistras seu (uti vocant) à primo Foundationis exordio invicem sibi succedentes Priorissas, & sunt sequentes :

I. Walburga Eichornin Patriâ Eystettenensis à Confodalibus Religiosis electa prima omnium tenuit gubernacula novi hujus Monasterii, sibi in animam autoritate ordinariâ commendati; quare de eodem pro viribus adaugendo solerter intenta, Claustrum Regulare probè munivit, & continuis laboribus indefessa Religiosam Congregationem in tantùm adauxit, ut (postquam Materfamilias sanè optime præfuit annis 14.) die 6. Januarii sub annum 1484. terrestrem mortalitatem exuens, post se reliquerit Sodalitium verè Augustinianum oppido numerosum, ac omni pietate præditum. Demùm eadem ipsa maximo omnium comploratu in contiguo communis Claustrum ambitu tumulata dignissima sanè Antistita, infinitis quasi Parasangis pro merito commendanda, quæ etiamnum terris obambulans nullius reatùs sibi conscia, tantam in Domino Deo suo (qui nunquam derelinquit sperantes in se) habuit fiduciam, ut cum aliquando careret pecuniis, seu mercede debita operariis diurnis elargiendâ, post preces supplices Supremo Numini, & ter Divæ Virgini Deiparæ factas, sæpè sapiùs quasi præsentissimam Dei manum in auxilium adfuisse certâ fide cognoverint ipsimet Operarii, qui cum subindè de manè sequenti accingerent reassumendo operi manuali manifestè deprehenderunt muros structurâ pridianâ sublimiores. Ejus post mortem quandoque tumulum illustrare visus est splendor ingens, & insolitus luce terrenâ longissimè clarior, item ollæ æneæ, & bacilli circum circa positi plurimùm irradiantes. Idem Sepulchrum cum (Monasteriò sub annum 1634. hostilibus flammis belli Suecici quasi totaliter absumptò ruderibus exustis, nondùm plenè restitutis) haud sine gravissimo mentis fastidio cœli injuriis expositum acerbè lugeret Vener. Domina Maria Agnes pro tempore Priorissa, de prævio Ordinarii consensu anno 1669. die 28. Augusti ipso Festo S. P. Augustini, chara referato tumulo officula urnis, suprâ centum octoginta tribus humo abdita quasi mollissimæ ceræ impressa, ac suavissimo odore fragrantia congruo honore levavit, atque anno proximè sequenti die 15. Septembris novæ cistulæ inclusa, privato cuidam Oratorio intrâ Clausuram reponi fecit, & sic quidem sine publica veneratione, haud tamen sine certis & evidentibus signis quasi ac prodigiis multifariam editis, hujuscemodî Translationem etsi solummodò privatam, nihilominus tamen Deo gratam, palàm contestantibus.

II. Elisabetha Rhormayrin, itidem patriâ Eystettenensis laudatissimè præfuit annum unum & menses tres; quibus transactis, ex innata quasi animi demissione, amplius imperare constantissimè renuens cessit officio, quo liberata, longo adhuc tempore totis videlicet 20. annis superstes vixit demùm anno 1516. in communi sepultura religiosè deposita.

III. Catharina Haydenin ex Fridenburgo Franconiæ oppidulo progenita, de utilissimo Regimine suo specialiter in Actis commendata præstitit annis 27. tandem ad coronam gloriæ vocata die 8. Novembris anno 1512.

IV. Sophia Schuelerin Norinbergenensis ob pullulantem hæresin per totam ferè viciniam Mariæburgensem iniquissimè grassantem, infinitas propemodùm pertulit molestias, ac persecutionum procellas: queis tamen omnibus ipsa longè Superior in strictissima vitæ Regularis observantia firmissimè perstitit, quousque à laboribus suis requiescere desuper vocata, cœlis immigravit die 13. Novembris anno 1541, de singulari Canonice Religionis fervore nunquam non apertissimè demonstrato in Annalibus Domesticis admodùm laudata.

V. Charitas Langemäntlin Patritia Augustana easdem prorsùs, quas præcedentia ipsius in Regimine pertulit temporum miseria, hæreditavit & ærumnas; eluebant enim id temporis oppidò tumultus bellici, ac propemodùm totam viciniam fædè depopulabantur Hæretici noviter exorti, atque hos inter præcipuè Princeps Neoburgicus Otto Henricus Comes Palatinus Rheni confinantibus Orthodoxorum partibus nimium quantum infestus, gravissimas Domicellis Mariæsteinensibus suscitavit molestias; & quia Venerabilis Domina Charitas ista Religioso hospitio suscepit, ac toto unius anni decursu in proprio Claustrum cum suis & inter suas benignè satis habuit Abbatissam

fam & Moniales 25. Ordinis S. Benedicti ex Monasterio Bergenſi ditionis Neoburgicæ proſtigatas, ipſe Princeps Neoburgicus antedictus id egerimè ferens, quaſi in rabiem actus, per ſatellites & emiſſarios ſuos violenter infringi ac ſacrilegè deprædari fecit totum Cœnobium Mariſteinenſe, unde & Regulares Canoniffæ loci hujus pariter contumelioſè proſcriptæ, ad S. Walburgam Eyſtadium in ipſam Urbem tanquam ad Aſylum confugerunt, quouſque hujusmodi ſeditionibus & calamitatibus publicis utcunque ſopitis, liberum ipſis fuit, proprias repetere manſiones, ubi Venerabilis Domina Prioriſſa iſta miſeriarum ſatur, tandem in Religioſo Clauſtro ſuo vitâ defecit temporalis, dignior æternâ die 6. Novembris anno 1554.

VI. Sibilla Frizin Auguſtana concordibus votis per ſcrutinium delecta, nedum & ipſa tranquillitate publicâ beator, ob totam nimirum circum circa Regionem etiamnum tumultuantibus bellicis furoribus & iniquiſſimâ heterodoxorum veſaniâ miſerrimè turbatam. Quibus tamen malis quamvis ex omni parte fortiter accreſcentibus neutiquam attentis, benigniſſima hæc Magiſtra & miſericordiæ Mater liberaliter Domicellas Mariæburgenſes, timore belli clauſtrò ſuò fugatas, & in exilium ejectas, ſummâ Charitate Religioſo hoſpicio ſuſcepit, eiſque per omnia largiſſimè, quoad potuit, providit, tandem verò cum præſuiſſet annos 30. & meſes tres, vitæ terreſtris curſum feliciter abſolvit, de ergaſtulo carnis egreſſa die 9. Februarii anno 1584. Mœſtæ, quæ parentârunt, Virgines ſubditæ Religioſæ Matris & Magiſtræ ſuæ perdilectæ tulerunt corpus, & poſuerunt illud in monumento, etiam reliquis omnibus expectando.

VII. Margarita Mühldorfferin vi votorum Capitularium in Regimine Clauſtrali ſubſtituta fuiſſe laudatur, divini cultûs & Canonice Religionis Obſervatrix accuratiſſima. Parthenonem Mariæburgenſem inſtaurari fecit nova Religioſa de ſuis conſeſſa, Domui verò ſuæ Mariæſteinenſi cum communi omnium aggratulatione nunquam non utiliſſima, præſtitit annis 8. & meſibus 7. tandem ad plures digreſſa die 31. Auguſti anno 1592.

VIII. Clara Staigerin Schongavii, quod eſt oppidum Ducatûs Bavaricæ ſuperioris intra limites Diœceſis Auguſtanæ terris edita, in Magiſtram Mariæſteinenſem eligitur die 15. Septembris anno 1592. eadem ipſa præ reliquis Præcedaneis ſuis ſingulariter commendata, quòd fuerit Matriona abſolutæ & Religioſæ virtutis perfectiſſima. Geſſit faſces Clauſtrales ſeu Prioratum Mariæſteinenſem digniſſimè annis 13. meſibus 6. quibus effluxis ad Superos abiit ætatis ſuæ 58. Chriſti verò 1605. quarto Calendas Aprilis.

IX. Felicitas Eſchauin Auguſtana, poſt legitimam Electionem canonicè celebratam anno 1605. die 5. Maji ritè confirmata undecim ferè annis præſedit, donec exanimatum corpusculum poſuit, & animam in manus ſui Creatoris reddidit die 9. Januarii anno 1616.

X. Agnes Mayrin Domo Bavara, Patriâ Ingolſtadienſis, anno 1616. die 26. Januarii ad clavum aſſumpta, ac paulò poſt die 4. Februarii autoritate Superiorum legitimè confirmata, Parthenias Mariæburgenſes ob novos tumultus bellicos iteratò fugere compulſas, pariter omni pietate & miſericordiâ lætiſſimè ſuſcepit, aliis que meritis de munere ſuo laudabiliter adminiſtrato multifariam reportatio onuſta, plurimum demum milite Suecico id temporis paſſim ubique faviſſimè dominante, in Domo Cathedralis Præpoſituræ Eyſtadii deliteſcens, animam egit die 4. Junii anno 1632. Corpus illius exanime deportatum fuit ad communem ſepulturam Mariæſteinenſem, ſacris loci Virginibus ſine pompa quidem mortuali, haud tamen ſine maximo comploratu funus deducentibus.

XI. Catharina Staigerin ſecunda hujus nominis, ejuſdem item cognominis ac terreſtris Patriæ Concivis, certè non unius tantum lampadis ſcœmina anno 1632. pridie Calendas Julii communi ſuffragantium calculo delecta, ac mox etiam poſtridiè de more autoritate ordinariâ ſolemniffimè confirmata, in ipſo ſtatim Religioſæ Præſecturæ ſuæ aditu graviſſimas ſuſtinere coacta fuit calamitates, videlicet ipſam Bellonam Suecicam, & præter innumera damna ex illa redundantem luctuoliſſimum totius Clauſtri Mariæſteinenſis incendium, poſt quod terribiliſſimè conſumptum pientiffimæ Clauſtrales Animulæ confederunt ad exuſta Clauſtri ſui rudera, vix pane tribulationis ſuſtentatæ, quouſque demum pace publicâ terris redditâ Venerabilis Domina Catharina multimodis Benefactorum ſubſidiis liberaliter adjuta, omninò novum fuit auſpica-

ta Monasterium, & pro cultu divino quantocujus restaurando præ reliquis instauravit templum, Chorum, item & Sedilia in rem necessaria; imò eadem dignissima Antistita hæc sese totam sacro impendit ministerio pro posse fovendo, quousque demùm jam senio grandæva, & infinitis propemodùm confecta laboribus, dum inter hæc longævo 24. annorum & mensium 6. Regimine. Indefessa tamen suis æquè profuit ac præfuit, Vestalibus Domicellis, seu Sororibus ac Filiabus suis in Christo unice dilectis tenerrimè valedixit, sed & Sanctissimam Triadem creatam multis precibus in sua vota supplex adesse jussit, rationis optimè compos placidissimè in Domino requievit, & quidem ipso Christi renascentis Festo seu 25. Decembris anno 1656. à morte sua cum ter Venerandis Præcedaneis suis communi tumulo reposita.

XII. Maria Agnes Sartoria Domo Ingolstadiana anno 1657. die 23. Januarii concordibus suffragantium votis canonicè delecta, ac paucis post interjectis diebus auctoritate ordinariâ ritè confirmata, continuò gravissimis confecta laboribus in Claustrali Regimine traduxit annos 36. quo tempore maximâ vigilantia jugiter intendit Claustrali Disciplinæ per omnia studiosissimè conservandæ, quapropter ingentem, quo imprætermisè flagravit, Religionis Zelum etiam Viri Principes oppidò mirati dignissimam Antistitam istam dixerunt non unius tantùm Lampadis fœminam. Nec minori curâ juxtâ simul temporalibus etiam negotiis impendit, dum scilicet cooperante altefato loci ordinario totum Claustrum suum è flammis & cineribus ab effero Marte Aquilonari suscitatis in totum restituit, & sic quidem attestante Scripturâ hodièdum in Perystilio muro inscripta, quæ sic habet: *Marquardus Secundus Dei gratiâ Episcopus, & Princeps Eystettensis honorem Dei & cultum Divinum augere & promovere unice desiderans cælestibus auspiciis has sub Suecico bello exusti Monasterii aedes ex fundamento restaurari, & suismet sumptibus in commodiorem usum reedificari curavit anno Domini MDCLXIX.* Proximit autem magnis & oppidò mirandis meritis onusta, quousque demùm jam Septuagenariâ major corpore leniter soluta, & Sydereis arcibus æquè feliciter ac lætanter immigravit, cujus Laus apud Parthenias Mariæsteinenses nunquam intermoriatur.

XIII. Maria Rosalia claustrali regimine suo sexennio constitit, quo perdurante, præterquam quòd Religiosæ pietati deditissima disciplinæ Regulari constanter innocuè servandæ magnâ solertiâ & plusquam sagaciter intendit, juxtâ quoque piis misericordiæ operibus addictissima passim apud omnes Mater pauperum inaudit, dehinc post mortem suam à mendicabilis universis multis lacrymis deplorata.

XIV. Maria Florentina Löfflerin Eystadiana electa anno 1699. die 27. Aprilis ob congenitam (quam usque hætenus plusquam abundanter per omnia largissimè demonstravit) Religiosæ pietatis modestiam passim magni habita, mox ab aditu Claustralis Regiminis sui cultum Divinum studiosissimè promovit, quocirca Monasterii templum non tam raris picturis quam pretiosis admodùm Cimeliis plurimùm exornavit, novum etiam raræ magnitudinis Organum magnis impensis apparatus in eo constituit, Sacrarium itidem pretiosis (quæ pleraque ipsa Maria Florentina manu propriâ confecit) vestibibus in Ministerium Divinum affabrè coaptatis instruit, quævis etiam Monasterii sui jura calamitosi illis malignorum temporum invasionibus multo labore reduxit, Conventum suum numerosiorem fieri fecit; imò & ad omnem Monasterii sui statum æquè in Spiritualibus ac temporalibus adaugendum, & amplius glorificandum usque hætenus nihil non egit, etsi jam Religiosâ Professione suâ Jubilæa, & dehinc etiam ætate physicâ Septuagenaria, & ultra, sanè æternâ memoriâ apud Posteros Dignissima.

MARODINUS,

Ita communi nomine suo dictus Regularis quidam apud Burgundiones in Diocesi Pisuntinâ Prioratus prioribus sæculis inclutus, & sex habuisse Canonicos recenset Gabriel Pennottus in historia tripartita cap. 33. num. 10. qui tamen idem Prioratus Superiori perdurante sæculo Collegiatæ Ecclesiæ Dolanæ fuisse superadditus constat ibidem loco citato.

MARTERENSIS

Conventualis itidem Prioratus, quatuor habuisse Canonicos Regulares pariter in eodem Burgundiæ Comitatu & Diocesi Pisuntina similiter constat loco antècitato nimirum ex historia tripartita Gabrielis Pennotti.

MASMONASTERIENSE

Magnificentissimum in Sundgavia (quæ est Regio Diæceseos Basileensis Alsatia superioris contermina) Canonissarum hodie quidem Sæcularium, prisca verò temporibus Regularium Collegium ad Olrunam fluvium gratissimâ situatione suâ jucundissimè spectandum hodièdum plurimùm inclarescit. Parthenium autem Illustrissimum istud ad annum gratiæ Humanatæ primus condidit ac liberalissimè dotavit Illustrissimus Vir Maso suo nomine dictus Dux Alemannia ex Stirpe Regum Francia & Burgundia progenitus, qui post mortem Charissimi sui (quem unicum genuerat) Filii in Olrunâ fluvio antedicto casualiter undis suffocati cum Contharali suâ amplissimarum possessionum atque has inter etiam viginti pagorum & oppidorum, ex asse hæredem solum & unicum Deum Cœli constituit, ut puta Regulares Personas ad Divinas laudes perpetim concinendas in eodem hoc Masmonasteriensi Collegio, in quo eodem memoratus Fundator non solum à morte sua sepeliri voluit, sed & pro officio Divino perpetuis futuris temporibus ritè concinendo constituit, ordinavit, seu fundavit Canonissas decem, Canonicos sex, atque eorundem Capellanos tres, de qua eadem fundatione videri possunt etiam Münsterus in Cosmographia Lib. 5. cap. 117. fol. m. 816. & ex ipso etiam Zeillerus in continuat. Itinerarii Germaniæ cap. 32. fol. 462. Sed ecce Gabriel Bucelinus ex congenito more suo scribit quidem part. 2. fol. 59. *apud antiquas Domicellas Maso-Monasterienses Regulam Monasticam S. Benedicti fuisse communiter usitatam &c.* de quo tamen quisquam alius Scriptor seu Chronographus vel Historicus nec verbo quidem meminit. Et quod amplius est vetustissimis, quæ hodièdum charè servantur, Bullis Pontificiis Domicellæ Mas-Monasterienses directè nominantur Canonissæ Regulares Ordinis S. Augustini, atque hujuscemodi Bullas quondamque sæpiùs à se fuisse lectas & inspectas, haud ita pridem Nobis coràm retulit testis omni exceptione major, Ipsemet Mas-Monasteriensis Parochus Plurimùm Reverendus, Nobilis, ac Clarissimus Dominus Georgius Christophorus Gebhard Augustanus Suevus SS. Theologiæ ac SS. Canonum Licentiatu & Proto-Notarius Apostolicus Concivis, ut & Condiscipulus vel olim mihi Colendissimus Observandissimus, dum nuper ex itinere suo ad patrios lares directo præter spem ad nos delatus etiam humaniter invisit.

MATIKOVIENSE,

Jam pridem secundùm omnem Religiosum statum suum penitùs immutatum apud Bavaros in Norico Diæcesis Salisburgensis Canoniorum primùm quidem Regularium seu Augustinianorum, subindè verò ad instar plurium aliorum consimilium omninò Sæculariatum venerabile quondam Collegium; de quo Joannes Ayentinus in suis Bojorum Annalibus Lib. 7. fol. 811. pauca solum hæc profert sequentia: *In Bojaria Noricorum Joannes Künchler cum uxore Catharina Matikovia, ubi quondam Regum Bojaria Prætorium fuisse vetusta indicant Diplomata Mystis Augustinianis (anno circiter 1414.) instituit Collegium &c.*

MATINCURIA,

Taliter proprio nomine suo dictus Lotharingia superioris seu Vogesia pagus pietissimum quoddam Canoniorum Regularium de Congregatione Salvatoris nostri nuncupatâ Monasterium habet Parochiali Ecclesia suâ conjunctum, quod ætate nostrâ celebre satis & famosum honoratur, eò quòd isthic loci magnâ Religione servetur miraculis fermè quotidianis inelytum sacrum corpus Venerabilis servi Dei Petri Forrerii sanctissimæ memoriæ Canoniorum Regularium in Ducatu Lotharingia Restauratoris nunquam hætenùs satis laudati, qui anno 1565. die 30. Novembris Mirecuriæ ejusdem Ducatùs Lotharingia oppido piis admodùm & honestis parentibus mundo editus, jam solemnè professione Canonicus Religiosus, & officio Sacerdos paræciam Matincuriensem (vel hinc *Pater de Matincurie* nuncupari solitus) miro animarum zelo flagrantissimus regendam suscepit, ac demùm post vitam sanctissimè traductam magnis meritis onustus pietissimâ morte requievit anno ætatis suæ 76. Christi verò 1636. die 9. Decembris; de quo eodem in vitæ historiâ anno 1668. (primùm à Joanne Bedel antefatâ Congregationis Regulari Canonicò Gallicè conscripta) interpretante Dominico Biselio parisi Instituti Alumno typis Augustanis latinè edita Lib. 1. cap. 26. ad finem notata leguntur sequentia: *Hodie pretiosum hoc pignus (Corporis ejusdem Petri Forrerii) in elegantissima tumba quatuor parastatis in chori medio im-*

posita quiescit, ipsum verò templum ob venerandam Viri Sancti memoriam Ordini formaque meliori restitutum cernitur.

S. MAURITII,

Sacri Ordinis nostri Canonico-Augustiniani Monasterium, seu Regularis quidam Prioratus apud Helvetios sub limite Diocesis Lausanensis in forensi ditione Reipublicæ, seu Cantonis, uti vocant, Bernatensis vel olim quidem pleno jure Comprovinciali Abbatiae Agaunensi (jam supra recensitæ) subditus, & incorporatus; is tamen de tempore & authore primæ foundationis suæ nondum per nos inquisitus; jam ab immemoriali tempore secundum omnem Religiosum statum suum hodie manet omnino sublatus & extinctus; cujus tamen appertinentes cænsus & reditus in debitum suum (uti vocant) salarium quot annis constanter exigit, qui isthic loci potenter residet substitutus quidam antefatæ Civitatis Bernatensis Præfectus, Religione suâ Calvinianus, qui tamen ex conventionem jam olim cum Majoribus factâ de memoratis redditibus usque modò S. Mauritio huic nostro quotannis persolvunt plaustra vini tria saltem vel quatuor, Cætera verò nihil, sed quævis alia jura sacrilegâ potentiâ tollit fiscus Bernatensis antedictus.

MECKELBURGUM,

Quæ & Magnopolis, item & Megalapolis Urbs olim Episcopalis inferioris Saxonie sub Archi-Episcopo Bremensi, penitus excisa olim Ducatus Magnopolitani, qui & adhuc Meckelburg ex eâ nominatur, Regionis Metropolis & Caput, cui Suerinum in Episcopali Sede successit anno 1170. ita Michaël Antonius Baudrant in novo Lexico Geographico Part 1. fol. 447. Habuit ergò Magnopolitana Ecclesia hæc jam olim ab Ottone Magno, ceu nova Episcopalis in Cathedrali suâ ad instar aliarum Saxonie Cathedralium Regularium itidem Canonicorum Collegium, quod tale continuo in Regulari statu suo perduravit, quousque Suerinum translata ibidem cum cæteris Comprovincialibus lapsu temporis quoad pristinam regularitatem penitus expiravit.

MECKELBURGUM,

Eadem Civitas præter Cathedralē suam antè memoratam, Ecclesiam unam & alteram fortè adhuc Regularium Canonicorum habuit Ecclesiam, qualiter apertè contestatur Krantzius Lib. 4. cap. 38. sic legendus: *Tunc etiam (ad annum circiter 1066.) per singulas Urbes Wandaliæ Canobia fiebant Sanctorum Virorum canonicè viventium, item Monachorum & Sanctimonialium, sicuti testantur ii, qui in Lubeck, Aldenburg, Razeburg & aliis urbibus viderunt; in Magnopoli verò tres Deo servientium dicuntur fuisse Congregationes.*

MEINFELDENSE

Regularium quondam Canonicorum Cænobium in Pago (uti vocant) Meinense, quàm pluribus ex ultima etiam Aquitaniâ magno numero concurrentibus atque experimentum redditæ sanitatis minimè dubium vota sua Domino reddentibus. Bolandus loco cit. fol. 828.

MERCKESHUSIUM

Antiquatum Moguntinensis Diocesis in Landsgraviatu Hassiæ superioris Sacri Ordinis nostri Monasterium, Venerabilis Congregationis Windesimensis membrum, tempore & authore seu primo Fundatore non notato, S. Joanni Baptistæ Præcursori Domini dicatum, Religioso Ordini suo feliciter & integrè servatum constitit usque ad tempora Philippi I. Landgravii Hassiæ, qui anno 1529. pertinacissimè Lutheranismum professus, demùm anno 1567. in fata declinavit, & die 30. Septembris terris defecit, dum prius quævis sacra Collegia ac Monasteria per totam Hassiæ Regionem in apertissimum Orthodoxæ Religionis odium violenter occupata, atque inter hæc etiam Merckeshusium istud nostrum sibi in usum proprium sacrilegè retinuit, & usurpavit; quod ipsum aliquando in diebus suis admodum illustravit Clarissimus Vir Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Michael Glafer SS. Theologiæ Doctor, Canonicus Regularis, & ultimus Prior in Merckeshausen, quo plurimum satagente sacrum Domicilium istud gloriose quidem è manibus hæreticorum fuit recuperatum, idem

idem tamen denuò cogente executione Pacificationis Westphalicæ, seu Cæsareo-Suecicæ perditum, & annihilatum.

MERSEBURGENSIS.

Civitas Thuringiæ (quæ Saxoniam Superioris pars est) primùm post ferale incendium anno Christiano 933. ab effratissimis Hunnis perpeffum ab Henrico aucupe restaurata, & Filio ejus Ottone Magno Romanorum Imperatore propriâ sede (quæ Metropolitana Magdeburgensis Suffraganeatus est) Episcopali donata, & hæc in propria Cathedrali Ecclesia sua à S. Henrico Imperatore in honorem S. Laurentii Martyris recéns ædificata Canonorum Collegium certè non aliud habuit, quàm aliæ tales per universam Saxoniam diffusæ, prout ampliùs dictum est paulò suprà V. *Magdeburgense*.

METENSIS

Cathedralis in Lotharingia Provinciæ Trevirensis olim Canonicos Regulariter viventes habuit, quibus S. Godegrandus ejusdem Civitatis Episcopus Regulam scripsit, & servandam tradidit circa annum 765. Verùm Canonici sub Walone Episcopo, sicut pleræque aliæ Ecclesiæ Regulam abjecerunt, & facti sunt re & nomine & conversatione sæculares & propitiarii. Molanus in Natalibus ad diem 6. Martii ex lib. de vita B. Godegrandi & ex centuria 8. cap. 10. & ante illam Joan. Mauburnus in Venatorio Canonici Ordinis lib. 2. part. 5. cap. 30. ex Chronicis Metensibus. Hæc Pennottus in historia tripart. lib. 2. cap. 39. num. 6.

METTENENSE.

S. MICHAELI,

Summo Curia Cœlestis Archistratego dicatum seu consecratum, & dehinc totaliter ab eodem etiam cognominari meritum apud Tyrolenses, cis athesin fluvium, haud procul Tridento famosâ cognominis Diœcesis, territorialis verò Ditionis Austriacæ civitate, quæ hæret in faucibus, quibus Germani nostri Italiam ingrediuntur, in præcelso colle jucundissimè contuendum Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini de Venerabili Congregatione Lateranensi Monasterium; idem à populo terræ communiter *Welsch-Michaelis* indigitari solitum; cujus anno gratiæ 1145. primi Conditores fuisse laudantur Illustrissimi Comites *de Eppan* cognominati, Udalricus Pater, & Henricus Filius ejus; qui potissimam latifundiorum & omnis reliquæ possessionis suæ partem, nec non etiam gloriam gentis suæ seu scuta & Insignia hæreditario jure propria liberalissimè contulerunt Religiosissimæ Virorum Coloniae ex Austriaco S. Floriani Cœnobio recéns isthuc adductæ; & sic quidem de summa autoritate Lucii Papæ III. & Altmanni Principis & Episcopi Tridentini. Ludovicus Marchio Brandenburgicus (cujus succinctam vitæ historiam exhibet Genealogia Principum ac Comitum Tyrolensium anno 1623. Augustæ Vindelicorum cum figuris æneis Germanicè in fol. edita) ab anno 1342. usque 1361. toti Provinciæ Tyrolensi pleno jure dominatus Athelinum hujuscemodi Monasterium S. Michaelis ampliùs dotavit, eique Jus Patronatûs præpinguis Parochiæ in vicino oppido Salurn, & alios quosdam redditus, & proventus annuos perpetuâ proprietate fruendos, ac possidendos hætenùs ad eandem Parochiam adspectantes contulit. Bullam confirmationis in id clementissimè datam Autoritate Apostolica decoravit Innocentius Papa VI. Cæterà Festum Dedicacionis Archangelicæ hujus (ut ita dicamus) Ecclesiæ secundùm structuras suas omninò splendidissimæ, & dehinc etiam Altaribus non nisi albicante marmore confectis exornatæ, quot annis recolitur Dominicâ secundâ Mensis Maji. Item Syllabum Prapostitorum etsi nuda solùm eorum nomina recenset Franciscus Adamus Comes à Brandis in suo Chronico Tyrolensi anno 1678. Bullani in 4. Germanicè edito usque ad annum 1663. deducta; ubi agmen eorum claudit Antonius Quetta Nobilis Tridentinus, cui post expletum vicenne regimen per omnia laudatissimè consummatum, canonicâ electione sub annum 1683. de more celebrata, dignissimè successit Reverendissimus, Prænobilis ac Amplissimus Dominus D. Georgius Adamus Inclytus Heros à Teutenhofen avitæ suæ stirpis ultimus, qui VIX IpsVs GeorgIVs ADaMVs VIVere InCepIt, non tam vivus sibi moreretur, quàm sibi moriens soli Deo viveret militiae Canonico-Augustinianæ adscribi voluit ad Magni Patris nostri AVreLII Canones IVrans undecimo calendas Decembris ipsâ Divæ Virginis Domino Præsentatæ die cum Samuele se ipsam offerens in templo Domini Divino Numini præsentatur. In Religione ergò

immortalitatis longitudinem ad Mortalitatis Brevissimum pedem emetiens, ad virtutis cotem tamdiu limavit omnem animæ dotem, usque dum Sacerdotii perfectionem affecutus cum Abele PRIMITIAS INCruentas Deo sVO offerret SaLVrNI famoso Provincia oppido. Exindè Oeconomix claves accipiens, eisdem plus cœlum, quàm celviniæ aperuit penuariam, dum in pauperes largitate fœnerans Domino, sibi Præposituræque thesaurizasset thesauros non deficientes in cœlis. Prædives itaque & prosperatus meritis, ut & alios tam verbo quàm exemplo pasceret, ad Parochialia pasqua expositus Magredi ad illud ovile præstanter invigilavit, nunquam renuens, animam suam ponere pro ovibus suis; Sanè Bonus Pastor, nisi ad nobilior Prælaturæ ovile vocatus & electus fuisset, qui idem Selectissimus Pastor, dum hunc titulum tanquam in folio, quod vento rapitur descripto fuisset, eum etiam invitatus est affecutus, quamvis hanc Dignitatis ampullam reputasset Bullam, quæ quo altius efflatur, eò citius diffatur. Vt, Vt eX reDINIls fVIt SaCræ Thlaræ GLorla, dignitatis gloriam non fundavit in mitrâ, sed mitram in gloria Dignitatis. Per 30. circiter annos clavum plusquàm laudabiliter regens tandem Apoplexiâ tactus, Paralyfi manuum usu destitutus per quadriennium omnia memoriâ & consiliò tractavit, ac cum pedibus non posset, capite discurret maximè illud vanissimæ vanitatis præfagium: *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Ideò hanc doctrinam doctus, & docens è cathedra mortis inter dolores non dolens ab omnibus desperatus non desperans humanæ rei & spei fugatas theses unicâ confutavit anthithesi ex Doctore gentium: *Cupio dissolvi Et esse cum Christo;* sic dissolutus suorum oculos resolvit in fletus, exindè sacris omnibus præmunitus anno Domini 1715. die 17. Decembris ex Domo Domini in Domum æternitatis transgrediens, aut potius equitans *Eques Georgius Dei gratiâ illum portante abiit.* Quem secutus Isidorus Pilati de Lassul Nobilis Italus à morte Prædecessoris concordibus suffragantium votis in vices illius Canonicè delectus, & in Modernum Regularem S. Michaëlis Athesini Præpositum Insulatum constitutus, simul & autoritate ordinariâ confirmatus gratissimâ rerum exhibitione sese per omnia plenissimè demonstrat Regularem Canonici Ordinis sui Antistitem communibus omnium votis laudatissimè comprobatum.

S. MICHAELIS,

Itidem taliter intitulata quædam inelyti Ducatûs Lotharingici civitas, sub limite Diœcesis Tullensis comprehensa, eaque patrio vocabulo communiter *Saint Michel* dicta, hodie dùm spectabile quoddam Sacri Ordinis Canonico Augustiniani Monasterium colit & reverenter extollit Lotharingicæ (quam aliàs Salvatoris nostri vocant) Congregationi subditum, & incorporatum; cui superiori durante sæculo & quidem sub annum 1643. recens fundando pius author fuit Venerabilis Dominus N. Cathedralis Ecclesiæ Fullensis Canonicus, qui singulari animarum zelo flagrantissimus ad eruditionem Christianæ Juventutis, & prædicationem Verbi Dei in Parochiis Ruralibus circum circa positis publicè faciendam, quantocujus ita fieri proprio Marte devotissimè statuit, & sic quidem de singulari Divini Numinis benedictione admodum pia ac salutaris hujuscemodi fundatio facta fuit, eo ipso tempore, quo non solum Lotharingia sed & tota Germania tumultibus bellicis dirissimè fuit agitata.

MINDENSIS.

Cathedralis (quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Coloniensis) Ecclesia prioribus seu primis Sæculis, & adhuc tempore Helwardi (qui fuit Mindensis Episcopus numero & ordine decimus anno Christiano 958 die 14. Februarii fati extinctus) Sacræ Regulæ Canonico-Augustinianæ morem gessisse dilucidè monstratur apud Krantzium in Metropoli Lib. 3. cap. 32. in hæc verba legendum: *Satis apparet primordia bujus (Mindensis) cæterarumque (Saxonix) Ecclesiarum fuisse Regularia sub ordine Divorum vel Benedicti, vel Augustini.* Pro Ordine verò Augustini præter constantem traditionem, fortiter hic pugnat Religiosa Confraternitas vel olim inter Cathedrales Mindenses, & alios Saxonix Monasteriorum Augustinianos seu Regulares Canonicos communis & usitata; imò & publicis etiam litteris confirmata; quarum Exemplar vel pro pluribus unum videre licet in descriptione Monasterii Grauenhofensis itidem suprâ recensiti datum & expeditum tempore Hannonis Episcopi inter Mindenses vicesimi sexti anno Christiano 1185. suæ Ordinationis verò 14. pluribus aggregati. De quo idem Krantzius citatus.

MINDENSE,

Aliud Parthenium scilicet Cœnobium, quoddam intrâ ipsam Episcopalem Urbem, modò tamen post statutam Pacificationem Westphalicam anno 1648. Electori Saxonico deditam, tempore & auctore non notato fundatum constitit, quod ipsum tamen labentibus annis mutato sexu, & primogenio statu suo desivit in Collegiatam Secularem, eamque Præbendis quindecim (ut ajunt) instructam. Et hanc Mindensem Ecclesiam mox à prima institutione sua seu fundatione fuisse Religiosum Claustrum à Religiosis Domicellis ascetin Canonico-Augustinianam professis inhabitatum, satis constare ex Diœcesana Synodo anno 1632. die 15. Octobris celebratâ, me per litteras edocuit Monasterii Hildesiani ad S. Hippolytum Canonicorum Regularium Congregationis Windesinensis Præpositus Reverendissimus ac amplissimus Dominus Josephus Eubert, Dominus ac Patronus multo nomine mihi Colendissimus, qui eadem ipsa, quæ modò de Regularitate Canonico-Augustiniana diximus, ipse legit, & sic se verè legisse sincerè contestatur, utique testis omni exceptione major?

MISNA seu MISNIA.

Cognominis Provinciæ Caput, eaque sub Circulo superioris Saxonix comprehensa Episcopalis Civitas, à prima sua fundatione, quam Ottoni debet Romanorum Imperatori, hujus nominis Primo, liberam, & dehinc soli ac uni Romano Pontifici subditam habuit Ecclesiam Cathedralē, atque hæc Canonicos, vel saltem ab antiquioribus temporibus, haud alios, quàm consimiles Saxonix Ecclesiæ, verè Regulares, ut supra dictum est *V. Magdeburgense*. In majus hujatis Regularis Ecclesiæ testimonium legi potest Hieronymus Emserus in Vita S. Bennonis Misnensium Episcopi. „ Ec, „ clesiæ hoc modo constitutæ, inquit Auctor in Prologo, Imperator Burckardum „ quendam primum destinavit Episcopum, Virum venerabilem, & multa Religione „ insignem, à Joanne (XIII. Rom. Pont.) prædicto simul cum Episcopo ipso confir- „ matus, Collegium instituit Canonicorum, & Sacerdotum Christi, qui instar tempo- „ rum suorum, primò omnia habere communia, simulque una vesci mensa, & in uno „ condormire loco, canonicas Horas, & divina omnia pariter cum multa celebrare „ dignitate, ac reverentia; neque in Choro, neque extra Chorum aliquid agere, „ quàm orare, vel supinis in cœlum rapi oculis ac manibus, nulla data in eodem lo- „ co (quæ multorum consuetudo est) confabulandi licentia; qui mos in hodiernum „ usque diem in Ecclesia Misnensi piè sanctèque adservatur. Ubi enim Sacerdotes „ nulla ad Chorum necessitate adstringuntur, in abditissimos angulos sese penetrant, „ & secretiora quæque templi loca petentes, aut genuflexo, aut toto prostrati cor- „ pore proni adorant. Idem etiam Burckardus, vehementer desiderans Clerum Ec- „ clesiæ suæ, sicuti morum vitæque honestate, ita habitu quoque à cæteris discerni, „ primus pallio nigro, linea veste superincincta uti docuit. Quo quidem amictu ho- „ die etiam incedunt, non tamen nisi statis anni temporibus, & præcipuè esurialibus „ Quadragesimæ feriis. Pari cura & sollicitudine subsecuti Burckardum Antistites, „ inprimis tamen Heico, Gerundus, Bruno II, Witigo, & is, à quo cæpimus, Ben- „ no: omnes equidem Sanctitate vitæ conspicui, omnem Ecclesiasticam Disciplinam „ ibidem plantaverunt, & ad posteros transmiserunt. Licet autem interjecto tem- „ pore communis Cleri Misnensis vita in propriam ac privatam sensim abierit. Ita „ Emserus.

MISNIA

Eadem quondam Episcopalis, ut diximus, Civitas quoddam etiam aliud Canonico- rum Regularium Ordinis S. Augustini Cœnobium habuit, quod à prima fundatione sua seu Institutione S. Afræ Martyri dicatum, inde tamen istud circà annum 1544. in Scholam Lutheranam transmutatum, & à Mathæo Dressero Patrio Scriptore heterodoxo in *Isagog. Part. 4. fol. 148.* secundum primogenium ortum suum ac progressum recensetur in hæc verba: *Reginerus vel Reynerus, vel Rottmanus Episcopus Misnensis anno 1046. constitutus ab Imperatore Henrico III. in Schismate, quod in electione Præsulis excreverat, fundator est Cœnobii Divæ Afræ, in qua Monachos qui Canonici Regulares dicti sunt, collocavit. Hoc Cœnobium annis sequentibus auctum est à Theoderico II. Episcopo & Megnerio Bruggravio Misnensi, qui pomerio seu Muro Urbis illud circumdedit. Item à Joanne Itino Præposito, qui anno 1363. ædificia ejus collapsa reparavit: tum à Joanne Trautschendarfio Episcopi Vicario, cujus sumptibus aqua per canales intervallo satis longo introducta est &c.* Et infra fol. 292. *Misnæ ad Albim fluvium*

fluviū Cænobium Monachorum, quos Canonicos Regulares vocant, ad S. Afram fundavit Reinerus in Ordine Episcopus Septimus anno 1030. Principatum Misniæ tenente Dodone Dieterici Marchionis filio. Confundationis Robur admandavit Nicolaus II. Pontifex Maximus, reditus & accessiones adauxerunt sequentes nonnulli Episcopi Burggravii, & Præpositi; Monachi autem bujus Cænobii templum sive Paraciam quæ in oppido est, curârunt & concionibus in eo habitis, & Sacramenta administrantes. Præpositus in hoc Monasterio fuit, cui salutis veræ ratio magna fuit. Itaque à Canonico quodam multis precibus contendit, ut sibi in Mortis agone tria inculcaret, primò Cbristi, acerbiter Sudorémque cruentum in monte Oliveti: secundò vim dolorum & Cruciatuum Cbristi in Cruce, ex his enim se consolationem certam percepturum esse & aditum ad Paradysum non minùs quàm Latronem arbitratus &c.

MOGUNTINENSIS

Ecclēsia Metropolitana primùm à S. Crescente Divi Pauli Apostoli Discipulo in Germaniam ad prædicandum Christi Evangelium ablegato fundata, mox à prima origine sua Regulare Institutum inter Clericos suos sanctè plantatum constantissimè coluit, simul ac firmissimè servavit, usque ad tempora Willigisi Archi-Episcopi anno 1011. terrestrem mortalitatem exuti, quando nimirum *Canonici Ecclesiæ istius vitæ Claustralis* (uti refert Bruschius de Episcopis Germaniæ Tom. 1. cap. 6. in Balderico 22. Episcopo Spirensi) *Professione abjectâ Sæculares fieri, seorsim habitare, ac propria possidere, item annuos proventus inter se distribuere cæperunt &c.* Et quod ampliùs est, Marianus Scotus apud Nebridium nostrum in antiquario Monastico Epist. 139. fol. 637. adhuc anno 1081. Canonorum Moguntinæ Ecclesiæ hujus habitationem disertè nominat Episcopale Monasterium, & (ut ibidem legitur) inter Epistolas S. Hildegardis (quæ primùm post Willegisum antedictum floruit) Abbatissæ reperiuntur Epistolæ quædam Canonorum Moguntinensium ad eandem Hildegardem perscriptæ sub hac Epigraphe: *Conventus Fratrum de Domo &c.* Item *Conventus Fratrum de S. Martino &c.* vide ampliùs de hoc infra V. *Trevirense*.

MOGUNTINENSE

Divo Petro Apostolorum Principi, cum propria sua adspectante Ecclesiâ, dicatum Canonorum primò quidem Regularium, subindè verò Secularium Collegium, primam Originem suam debet Friderico è Ducibus Lotharingiæ Supremo Hierarchæ Moguntino (de eadem pia fundatione sua etiam à Bruschio de Episcopis Germaniæ Tom. 1. cap. 2. specialiter admodum commendato) ab Abbate Trithemio in Chron. Hirsaug. Tom. 1. ad annum Christi 979. in hæc verba relatum: *Isse Fridericus (antedictus) Ecclesiam Regularem S. Petri Apostoli ad plagam Aquilonarem extrâ mœnia civitatis Moguntinæ fundavit, & in ea Canonicos secundum Regulam Apostolicam conversantes posuit, quibus omnia fuerunt communia, & nemo suum aliquid proprium esse dicebat. Fuit enim veterum consuetudo laudabilis Clericorum sine proprio in communi vivere, unam mensam, unum Dormitorium, & unum Marsupium sub Præpositi obedientia habere. Verùm temporis Successu Præbendas cæperant cum emolumentis reddituum in distributiones quasdam dividere, & singuli singulas possidere.*

MOGUNTINENSE,

Vetustissimum Regularium Clericorum Collegium SS. Martini & Victoris recensetur inter alia plura hujuscemodi Conventicula sacra, modò tamen secundum priorem statum suum penitè antiquata, seu (uti loquimur) secularifata; de quo eadem pariter Trithemius antè citatus Tom. 1. ad annum 978. prostat in hæc verba legendus: *Hoc tempore Henrico Trevirorum Archi-Episcopo mortuo Theodericus de Moguntia successit, sub quo Canonici Majoris Ecclesiæ S. Petri, qui à primo fundationis suæ tempore sub certa regula in commune usque in præscriptum tempus vixerunt, abjectâ pristinâ conversationis formâ desierunt esse Regulares, distributionibus inter se factis Præbendarum, & qui priùs more Apostolorum quævis habere communia consueverunt, jam deinceps singuli possidere propria, quorum exempla postea secuti plures Canonici, sicuti S. Paulini apud Treviros, S. Castoris in Confluentia SS. Martini & Victoris Moguntinæ &c.*


ANA

ad S. Martinum
et S. Nicolai
ambrosio dicitur
Cassianus in op
inopiam. Pro
leque dicitur
eret, nulli
dolorum in
curus est ibi


Dilectus in Ge
mori i prima or
antimone co
i. Episcopi anno
clipe ipse cite
o. S. in hiberni
bitum, et pro
Et quod un
Abbas Epil
tore habuit
iue Episcopi
Abbas rep
ten Hiberniam
Item Cassianus


dicatum
collegium,
no Hierarcha
es Germaniz
no in Chron.
idense / an
centi mans
dilem co
propus esse
ar communi
ita oblect
ultum in

reser
erunt
reque
enti
tu de
tionis
obje
fatis
erunt
iaci
ori



I. Prank se





Fragment of text from the adjacent page, including the words "P..." and "L...".

MOGUNTINENSE

Pientissimum, quod etiamnum floret, S. Agneti Virgini & Martyri dicatum Sacrum Virginum Contubernium, antehac Partheniis Cisterciensibus addictum, Superiori ætate ad Vestales Canonico-Augustinianas fuit translatum, & factum est hoc sub initium ferè prioris Sæculi videlicet anno 1605. de speciali mandato Ordinarii, seu Celsissimi ac Reverendissimi Principis Electoris, & Archi-Episcopi Moguntini Joannis Suicardi, qui fuit Vir (uti de ipso loquitur Adlzreitterus Part. 3. Lib. 11. num. 71.) inter omnes ævi sui præstantissimus; in quo certabat eximia in Deum pietas & Religio cum publicæ salutis indefesso studio, terris subtractus cœlisque receptus anno Christiano 1626. decimo quinto Calendas Octobris. Hic, inquam, dignissimus Antistes Parthenias Canonico Augustinianas ex Cœnobio Eybingensi jam supra descripto Moguntiam deportatas isthic loci clementissimè stabiliri fecit, publicis litteris ab Eadem Celsitudine suâ ad perpetuam rei memoriam datis, quarum tenor iste est: Wir Joannes Suicardus von Gottes Gnaden des Heil. Mainzischen Stuehls Erz-Bischof des Heil. Röm. Reichs durch Germanien Erz-Canzler und Chur-Fürst etc. etc. Entbiethen hiemit den frommen Gotts-fürchtigen Vns in Christo villgeliebten, der Muetter, vnd ganzen Convent der Heiligen Agnetis Jungfrauen vnd Martyrin in vnserer statt Mainz vnd auch ihren schwöestern so wohl gegenwerthigen als nachkommenten, welche sich der Regel vnd Leben des Heil. Bischoffen vndt Kirchenlehrers Augustini verlobt, vnsern Ewigen Gruess. Nachdem Ihr schon vor etlichen Jahren in dem Closter des H. Petri nahe bey Creuzenach wohnente wegen Veränderung des vhralten Röm. Catholischen glaubens vnd Religion vertriben, vnd in vnser Kloster bey Eybingen in dem Rheingow mit consens vnserer Vorfahrer vnd Obrigkeit aufgenommen, entlich aber in vnser Kloster der Heiligen Agnetis in vnserer Statt Mainz transferret, oder verwerlet worden, und wie wir erfahren und berichtet worden in demselben allzeit löblich gelebt, vnd dem Gottesdienst verleiht Euer Regel nichts zuwider gethan, oder gehandelt, vnd zwar aus der Meinung und intention, damit Ihr in demselben allzeit möget bestendig verbleiben, die Ehr Gottes allzeit beförderet, und unaufferlich in eurem Gebett nach vorgeschribener Regul, vnd Gesaz Euren Ordens verfahren, also haben Wir Euren villfeltigen bitten und begehren statt und plaz gegeben, damit Ihr der Andacht desto bas besseissen vnd abwarthen könntet, und möget. Sagen demnach hiemit allen, so gegenwerthig, das Ihr in demselben Vnsern Kloster der Heil. Jungfrauen und Martern Agnetis zue allen nachkommenten Zeiten sollet verbleiben, den dienst Gottes Eurem standt vnd Profession gemöß allda versehen, vnd Euer leben vndter dem Habit des Ordens beständig vollbringen. Überlassen demnach hiemit alle dieses Kloster güetter beynebens alles ernsts befelchent, das ihr Ehegelmelte güetter in schuldigen rechtmässigen bau haltet, nichts ohne Ursach, noch auch ohne Wissen vnd Willen vnser vnd vnsern nachkomens davon entfrembdet, verderbt, oder verändert, die Renthen, Zünß, und einkommen, in wem auch solche bestehen, zue rechter vnd gebührenter Zeit einfordert, und den selben, welchem von vns oder vnsern Nachkommen eure sachen zue administriren und verwalten werden anbefolchen sayn, wahre und aufrichtige Rechenschafft gebet, und sonsten euch also in allen Euren thuen und lassen als so verhaltet, wie es frommen und Andächtigen Klosterleuthen gezimmet, so einsmahls Christo dem Himmlischen Gesponns vnd Bräutigamb vber alle ihre Wort und Werkh werden müessen ganz genaue Rechenschafft geben, auffiehret, damit aber solches alles desto bas vnd kräftiger möge beschehen, werkhstellig gemacht und volziehrt werden, befelchen Wir hiemit allen und jeden, so diesem Heil. gehorsamb vnderworffen, vnd die da sich rebellisch oder widerspenstig werden erzaigen, bey straff der Excommunication, wosern sye gedachte Muetter, Convent, und ihre schwöestern vorbezagten Closters nicht guetwillig werden an- und aufnehmen, vnd vnsern Befelch, wie sye dan schuldig, nicht werden nachkommen. Solches aber alles vorbezagtes zue mehrerer Bestättigung, Glaub, und treu haben Wir vnser aignes Secret Insigel hier vnder gemacht und getrukht, so geschehen in dem schloss des Heil. Martini in vnserer Statt Mainz den 25. Julii Anno 1605.

(L.S.)

Aus Befelch des Hochwürdigsten Chur-Fürsten vnd Herrn
Herrn Joannis Suicardi Erz-Bischoffen zue Mainz.

Jacobus Henselinus Secretarius.

MOLENBECCENSE,

Primum pro Canonissis Regularibus in honorem S. Dionysii Areopagitæ Episcopi & Martyris dicatum, exindè verò labentibus annis ad Ascetas viros, Congregationis Windesimensis translatum, de quo apud Krantzium in Metropoli Lib. 3. cap. 8. sequens recitatur historia: *Mindensi Ecclesiæ quintus proficitur Pontifex Drogo nomine: cujus tempora insignivit fundatio Monasterii Dominarum Canoniarum* in Molenbeck ad annum Christi nongentesimum minùs quatuor, sic enim inepti quidam indicant versiculi. Quum rebus Germaniæ præesset Arnulphus Romanorum Imperator, Fundatrix erat Nobilis fœmina Hilborch, & Sacerdos Folcardus uterque locuples centum pagos cum litonibus (hoc est Colonis) feruntur contulisse. Pontifex quoque ut in fundatione concurreret, partem Decimarum de suo dicitur contulisse, eâ videlicet conditione, ut annuos quinque solidos in auro vel argento ad aram S. Petri afferrent, & ipse Pontifex iusta de loco obsequia reciperet, quemadmodum de suis locis suo Juri subjectis. Creatur in eo loco Abbatissa insignis Puella Fundatricis Neptis. Arnulphus Imperator multis privilegiis hunc locum insignivit, sed & Otto Imperator secundus adauxit. Henricus Secundus adimplevit, cum autem incendiò deperiisset, instauratum accepit Patronum Divum Dionysium tunc recens. à Francia in Ratisbonam translatum &c. Item infra in loco citato Lib. 11. cap. 53. ad finem de sexûs immutatione & Religioso statu ad Alumnos suprâdictæ Congregationis Windesimensis autoritate Ordinariâ transactâ habentur sequentia: *Ejus* (Alberti de Hoya quinquagesimi Episcopi Mindensis anno 1438. ad id muneris delecti) *temporibus Monasterium nunc insigne Molenbeccense* mutatum est post Canonicas excipiens *Fratres* Regulares anno millesimo quadringentesimo quadregesimo primo. Nam sub manibus Dominarum dum labitur Religio, omnia pariter collabuntur, ruerunt ædificia, perierunt prædia, ad mendicitatem versa sunt omnia, nunc sub manibus Fratrum Regularium omnia reffloruerunt. Et hæc ibi; Tenor autem Bullæ Transmutationis seu novæ Fundationis hujus expedita fuisse legitur sub hujusmodi tenore.

Albertus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Mindensis ad perpetuam rei memoriam &c. Quoniam Domini est terra & plenitudo ejus certa tamen loca pro cultu frequentiori suæ Majestatis immensæ singularibus signorum indiciis plerumque consecrari consuevit, quæ quanto majori torporis negliguntur incuriâ, tanto majori negligentes ipsi rei Dei redduntur injuriâ. Qui rursùm à Deo neglecti & in desideria cordis sui traditi non nunquam sic in vanitatibus suis evanescunt, quòd loca & personæ divinæ justitiæ dispensante secreto contrectatione mutuâ tabescentes ipsa cum personis loca vilescunt, & quia de deviis à tramite veritatis dicit Veritas, Regnum Dei auferretur à Vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus ad honorem Divinûmque cultum plurimis sic vepribus & spinis ab agro Domini funditus extirpatis loca sancta inhabitantium culpâ in desperationem deducta novellis olivarum, quas in circuitu mensæ Domini constitutas Propheta commemorat, studuerimus reformare. Cum igitur Monasterium Molenbeck nostræ Diocesis à multis retròactis temporibus pro Congregatione fœminarum, quæ Canonice Sæculares appellantur, & certorum Hebdomadariorum, ac Beneficiatorum Domino inibi famulantium per Abbatissam pro tempore existentem regi, ac gubernari solitorum fundatum, & dotatum partim negligentia, partim fortuitis casibus, & malo statu patriæ intervenientibus adeò decreverat in Spiritualibus & temporalibus & in suis ædificiis collapsum existat, ut tam Abbatissa ejusdem Monasterii, quàm Canonice pauca numero Superstites, Hebdomadarii & Beneficiati suprâdicti terram fructiferam tanquam eis versam in falluginem abhorrentes, & locum ipsum pro desolato relinquentes cultum divinum inibi ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & patrimonium ejusdem Monasterii, & animarum salutem institutum penitus quasi postergârunt. Unde igitur ne Vineam Domini dudum ibidem pro favore Christi fidelium tunc manus adjunctrices porrigentium multis laboribus plantata, & fructu multiplici decorata spinis & vepribus invalescentibus supprimatur, & maceris depulsis conculcetur, Nos ad suprâdicti loci reformationem, & Divini cultûs augmentationem pietate curæ Pastoralis allecti intensis desideriis aspirantes eundem locum malitiâ temporis, loci qualitate, & sexûs fragilitate prensatis non sub hujusmodi Canoniarum Sæcularium, per quas, ut etiam ipsamet fatentur, non speratur posse reformari statu, quem Sedes Apostolica approbare non dignatur, sed certæ per eandem Sedem approbatæ Religionis titulo, cujus Professores Sexu Virili non solum carne, sed mente vigentes inter mundi pericula adversitatis turbo non terret, nec anisus fortunæ fallacis dissolvit, decrevimus reformare. Hinc est, quòd Nobilis Domina Sophia de Domo Ducum Brunsvicensium Abbatissa, Gisela Præposita, Elisabeth von Sundarsen

Harsen Canonica, Henricus Degenhaufen, Henricus Craner, Conradus Repeler Hebdomadarii & Beneficiati Monasterii prædicti ad nostram propterea vocati præsentiam, & modò reformationem per Nos ut præmittitur decreto consentientes Abbatiam, Præposituram, Canonicas præbendas & hebdomadarias, & beneficia præacta cum omnibus & singulis suis juribus & pertinentiis universis spontè & liberè in manibus nostris resignârunt & quilibet eorum resignavit. Nos igitur reformationes talis modi recipientes, admittentes, ratasque habentes unâ cum hominibus, Viris, Dominis Præposito & Capitulo Ecclesiæ nostræ Mindensis tractatu Capitulari & maturâ deliberatione inter Nos præhabita Abbatiam Ecclesiam & Monasterium prædictum cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, conventionibus, bonis & rebus mobilibus & immobilibus, terris, agris cultis & incultis, pratis, pascuis, & sylvis, aquis & aquarum decursibus, viis, & inviis, redditibus, pensionibus & pertinentiis earundem universis Venerabili Patri Domino Arnoldo de Hues Priori Monasterii Canonico Regularium in Bodecken Paderbornensis Diocesis tradimus, concedimus, & assignamus per præsentem, ita quod ipsâ Ecclesiâ & Monasteriò in Molenbeck præactis, prout ei facultas suppetit ad Congregationem convenientem Virorum Deo devotorum Canonico Regularium Religiosos sui Monasterii in Bodecken supra dicti conformium juxtâ ejusdem Religionis exigentiam ibidem instituat cum juribus, libertatibus, privilegiis, immunitatibus, prærogativis, rebus, & bonis supra designatis, quorum regimen & gubernatio, visitatio, inquisitio, & correctio, & totius Monasterii tam in spiritualibus quàm temporalibus administratio, nec non Prælati sub nomine Prioris institutio, confirmatio, & destitutio ad ipsum quamdiu advixerit, & quemadmodum ei visum fuerit, liberè permaneat, ipsèque de bonis & redditibus dignitatum & beneficiorum prædictorum, nec non officiis, rebus, & juribus aliis quibuscunque nominibus censeantur, quæ aliàs ad Abbatissæ præsentationem, concessionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, liberam habeat, prout ipsorum bonorum qualitas exegerit, disponendi facultatem, & eis secundùm Deum visum fuerit expedire. Cùm verò Domino permittente ipse de medio sublatus fuerit, cesserit, seu aliàs Prioratum in Bodecken quomodolibet dimiserit, Beneficiorum ac bonorum & rerum dispositionem hujusmodi apud Priorem, qui ibidem pro tempore fuerit, volumus perpetuò remanere, qui Priori Monasterii Canonico Regularium in Windeslem Trajectensis Diocesis pro tempore existenti, & Capitulo eorum Generali, quoad visitationem, inquisitionem, & correctionem, Prioris institutionem & destitutionem, secundùm ritum, modum & privilegia Ordinis eorum, ac statutorum plenè subiectus existat, illò demptò, quòd Prior & Fratres in Mollenbeck teneantur ad ibidem consuetam procuracionem exhibendam, & Generalis Interdicti concernentis totam Patriæ observationem, nec tamen Prælati, qui eidem Monasterio præfuerit, coràm aliis quàm Nobis & Successoribus nostris Mindensibus Episcopis, aut illo, cui Nos & Successores nostri per patentes litteras hoc specialiter duximus committendum, vel saltem Sede vacante coram Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ quovis modo valeat conveniri, & salvâ Jurisdictione Domini Archidiaconi quoad executionem mandatorum contra Subditos Laicos infra Parochiam prædictorum Dominorum degentes. Sicque Monasterium in Molenbeck sic prædictum de Statu Canonico Regularium ad Observantiam Canonico Regularium de consilio, assensu, & beneplacito horum Dominorum Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ nostræ prædictæ ob Divinè cultûs augmentationem, multarumque animarum salutem vitæ nostræ in bono meliorationem in Sanctæ & Individuæ Trinitatis nomine transferimus per præsentem. Sed ne Abbatissa, Præposita, Canonica, & Beneficiati prædicti, aut aliqui ex eis per dimissionem Præbendarum, fructuum & reddituum, dignitatum & beneficiorum prædictorum, aut aliàs præmissorum in Cleri opprobrium mendicare cogantur, sustinentes detrimentum, undè potiùs commodum sentire deberent, volumus eisdem, Abbatissæ, Præpositæ, Canonicabus, si non aliter medio tempore iis prævideatur, & Beneficiatis illis, qui pacificam Dignitatum & beneficiorum prædictorum possessionem resignationis tempore non habuerunt, de fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii in Molenbeck suprâdicti, quoad vixerint, in annuis redditibus, personarum qualitatibus, & ejusdem Monasterii facultatibus debite circa hoc pensatis subveniri. Ut autem præmissa omnia & singula pleniorè obtineant roboris firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri munimine unâ cum majori sigillo Capituli suprâdicti jussimus roborari. Et Nos Hardewicus Præpositus, Hermannus Decanus Ecclesiæ Mindensis suprâdictæ in signum nostri consensûs omnium præmissorum præsentem litteram nostri sigilli jussimus appensione muniri. Datum anno Domini millesimo, quadringentesimo quadragésimo primo die Lunæ vicesimâ secundâ mensis Maji.

Post Executionem igitur recensitæ Episcopalis Bullæ Canonici Regulares de Vener. Congregatione Windesimensi sæpèfatum Molebecense Collegium istud intrârunt, quod & in omni Sanctitate vitæ ad lucidissimum multorum exemplum constanter incoluerunt, quousque Sæculo proximè sequenti violenter indè detrufit, qui & universam Provinciam ad amplectenda novi Lutheri dogmata plùs quàm violenter adegit, qui tam terris istis potenter imperavit Ernestus Dux Brunsvicensis hujus nominis Septimus impiissimus Apostata anno 1546. die 11. Januarii terris defunctus.

MONASTERIUM,

Cognominis civitatis ac Diœcesis in Westphalia Cathedrale Collegium, sub Metropolitano Coloniensi constitutum, cum propria Ecclesia sua S. Paulo Doctore gentium & Apostolo dicatâ primitus anno gratiæ 785. inchoatum, fundatum, & institutum fuit à Carolo Magno Romanorum Imperatore, prout fufius explanat Krantzius in Metrop. Lib. 1. cap. 5. & post ipsum etiam Martinus Zeillerus in Itinerario Germaniæ cap. 30. fol. m. 639. Primarius Rector & Antistes Monasteriensis fuit S. Ludgerus Saxonix & Westphaliæ Apostolus, professione suâ Canonicus Regularis, de quo vide, si placet, Pennottum nostrum in notis ad offic. proprium Canonorum Regularium notat. 14. in vitam ejusdem S. Ludgeri, & Bollandum tom. 3. Martii die 26. ejusdem mensis in comment. prævio vitæ S. Ludgeri §. 9. fol. 640. Porro post Sanctum Ludgerum istum jam cœlis receptum vitam regularem adhuc annis sequentibus communiter fuisse usitatam seu in Cathedrali Ecclesia Monasteriensis constanter observatam dilucidè monstrat idem Krantzius loco citato Lib. 3. cap. 15. ita scribens: *Richardus regebat Mimigardevonensem (hodiè Monasteriensem) Ecclesiam; excepit illum (anno Christi 960.) nonus in Ecclesia Hildeboldus, cujus memorabile nomen inde est, quod Fratribus suis multa providens benefecit, admoneor hoc nomine, quod in Annalibus ubique lego, per Ecclesias vixisse Fratres ordine utique Canonico sub Regula S. Augustini.* Hæc ille, cui aliquantulum accedit etiam Gabriel Bucelinus in Catalogo Episcoporum Monasteriensium, quem recenset Part. 1. fol. 27. ubi tamen ipsè sensum verborum istorum in favorem Monachorum sui Ordinis Benedictini torquere nititur, & hinc de memorato Hildeboldo Episcopo nominatim refert, quod fuerit benè meritus de Canonicis suis tum Monachis; quos tamen Canonicos istos Monasterienses secundum allegata minimè cucullatos, sed solum à Claustrali Monasteriorum habitatione seu per extensionem (uti vocant) tantum latè sumendo hinc Monachos posse nuncupari subintelligere. Verùm quod res est pro dictorum confirmatione succedat hinc etiam Laurentius Beyrlinck in Catalogo Episcoporum Monasteriensium, quem cum reliquis Nobilissimus Scriptor iste coràm assertit in Theatro vitæ humanæ Tom. 3. fol. 228. in Hildeboldo antèdicto, qui præfuit extremis (circa annum Christi 970.) temporibus, ubi sic ait: *non moveat quemquam, quod Fratrum hinc fiat mentio, quod olim illi, qui jam gaudent vocitari Canonici, Fratres fuerint, & ferè omnes sub B. Augustini regula vivebant &c.*

MONASTERIENSE,

Aliud ibidem propè muros præfatæ Urbis Monasteriensis vel olim percelebre Regularium Canonorum Collegium Christi Martyri S. Mauritio Thebææ Legionis antesignano sacrum, idque Authore Friderico Marchione Misniæ 16. Episcopo Monasteriensis anno circiter 1070. fundatum: de quo Krantzius in Metrop. Lib. 5. cap. 8. ponit sequentia: *Mimigardevordeni deinde Ecclesia (quæ circa hæc tempora nomen mutavit, ut Monasteriensis vocaretur) præficitur Fridericus Vir Nobilis, frater Marchionis Misnensis, Præpositus Fratrum in Ecclesia Magdeburgensi: locuples iste fuit, & Ecclesiam S. Mauritii extra muros Urbis exædificavit, Fratribus implevit, stipendia procuravit, & perpetuum sui nominis monumentum ibi reliquit, sepultus in eadem (Cathedrali) Ecclesia S. Pauli, postquam multis multa cum laude illic præfuisset annis &c.* Et sic ille de primo Monasterii hujus Mauritanici Exordio, de quo tamen constat, quod jam pridem transmutatum fuerit in Collegium Canonorum Sæcularium.

MONASTERII

Ibidem, seu in eadem Episcopali cognomine civitate, hodieum adhuc floret Venerabile quoddam Vestalium Canonico - Augustinianarum Contubernium S. Dionysio Areopagitæ Episcopo & Martyri sacrum, istud tamen de tempore & authore primæ foundationis suæ haud ampliùs inquirendum, hodie à plebeis & communibus me-

moratæ civitatis Incolis communiter appellatur *Monasterium S. Dionysii in Nersingen*, vel solummodò *Monasterium Nersingense*. Habent de præsentì Venerabiles loci hujus Domicellæ numero suo plùs minùs quadraginta Confessarium, & in Spiritualibus Rectorem unius ejusdémque Sacræ Regulæ Augustinianæ Candidatum, qui (dum hæc scribimus) plusquàm nobiliter eminet admodùm Reverendus Spectatissimus ac Clarissimus Dominus Hermannus Guilielmus Lagemann è Comprovinciali Canoniâ Frenswegianâ datus, Sacræ Congregationis Windesimensis Alumnus Nobis per litteras familiaris, Achates fidissimus Colendissimus.

MONTIS BENEDICTI

Abbatialis Ecclesia (Archi-Diœcesis Bisuntinæ) inter montes altos & asperos circà annum Domini 1100. erecta, seu potiùs instaurata per Illustres Viros Landricum, Amandricum, Hugonem, & Henricum Dominos de Joulx & Arsyès, qui totam terram Vallis de Salvègio continentem duas inter Leucas Gallicas in longitudine, & totidem in latitudine cum Decimis, variis juribus, præstantionibus, & Jurisdictione temporali obtulerunt. Habuit annexam amplam Parochiam quatuor millium & ampliùs Personarum, quæ per Canonicos dictæ Ecclesiæ regi consuevit. Pendent etiam ex ea tres Prioratus scilicet de Valle, de Ullorbio, & de Grandecurtio. Primus Abbas nomine Narduinus ab Innocentio II. anno 1141. exemptionem obtinuit, Benedictus verò XII. dictæ Ecclesiæ Abbatibus usum Pontificalium concessit. Sunt in ea plures Sanctorum Reliquiæ; est etiam arca lapidea quatuor columnis fulta, in qua cujusdam Sancti Viri Benedicti nomine corpus dicitur reconditum; quem ferunt ibidem loci vitam solitariam agentem, eidem Montis Benedicti nomen dedisse, sub ea infantes infirmi positi meliùs habere consueverunt. Hæc Abbatia per centum ferè annos Abbates habuit fiduciarios, sub quibus in Spiritualibus & temporalibus plurimùm fuerat deteriorata, divino tandem consilio & pietate Serenissimi Archi-Ducis Alberti magno ejus emolumento Spirituali & temporali Abbatem ex Ordine Canonicorum Regularium profectum sortita est Reverendissimum Dominum Renobertum Cheureton SS. Theologiæ Doctorem eruditissimum; cujus votis ut Deus faveat, obnixè obsecro, quem dictæ Abbatia Restauratorem meritò vocare possumus; nam ædificia ferè omnia tam in dicta Abbatia quàm in domibus ex ea dependentibus de novo extruxit, jura vendicavit, redditus auxit, officium novum Romanum multis libris magno ære introduxit, disciplinam regularem restituit, & Parochiam ei annexam & vicinis Helvetiis hæreticis contiguam per absentiam Pastorum à bonis moribus & vero cultu non nihil aberrantem in Religione & Fide Catholica firmavit. Hæc Pennottus lib. 2. cap. 33. num. 9.

MONS S. BERNARDI,

Monasterium (inquit Pennottus in hist. tripartita lib. 2. cap. 33. num. 6.) à Sancto Viro Bernardo, 17. Calendas Julii Sanctorum fastis inserto, in honorem Dei Sanctæque illius Genitricis & Beati Nicolai fundatum ac dotatum, quod nunc S. Bernardi dicitur; de quo Carolus Novariensis Episcopus in compendio suæ historiæ NOVARIA inscriptæ hæc habet sequentia: *In alia item Montis parte Diœcesis Faventasiensis columnam esse cui carbunculus erat impositus, quem illius statua oculum vocabant, dicebantque per eum languores hominum à Jove longè prospici & curari.* Et infra, *atque eo loco ad honorem Dei ejusque Sanctissimæ Matris & Patroni sui Nicolai Ecclesiam ac Cœnobium instituit Monachorum, seu Canonicorum, quod quidem primò bonis, quæ in sua erant potestate, dotavit deinde etiam Richardo Patri & Bernardo Patruo suo persuasit, ut etiam alia bona largiretur, ex quibus magni bodiè quoque sumptus ad Canonicorum alimenta, advenarumque omnium hospitium suppeditant.* *Monasterium ab Augusta (Prætoriam) quæ in Galliam itur, distat ferè iter diei, & nomine S. Viri (Bernardi) appellatur &c.* Sic ille apud Pennottum citatum, ubi & Cœnobium istud communiter S. Bernardi majoris, ad distinctionem nimirum alterius, quod Bernardus minor appellatur, intulari solitum recenset quidem inter Monasteria Gallia; quia verò (uti manifestè liquet) de Diœcesi (cujus Episcopi hodie quidem fœderi Helvetico subscribunt, ab antiquo tamen Imperii Germanici Principes inaudiunt) Sedunensi est, & certa Germaniæ nostræ pars esse reputatur, æquiori Jure ac titulo reliquis ejusdem Germaniæ nostræ Canonico-Augustinianæ Collegiis annumerandum censetur. Idem à Patrio vitæ (quam primùm Gallicè conscripsit Rolandus Viottus loci Præpositus circà annum 1613. in officio suo præclarus, postmodùm verò eandem Latine reddidit R. P. Adamus Schirmbeck Societ. Jesu anno 1652. typis Monacensibus in 12. editam) Scriptore de loco & situatione sua fusiùs explanatur, prout sequitur Lib. 2. cap. 3.

fol. 193. Xenodochium & Monasterium in monte Jovis, quod Bernardus Magnus appellatur, in monte totius Europæ altissimo, frigidissimo asperrimoque situm est, atque is ipse mons est, quem aliter Pœninum vocitârunt, sive ab Hannibale copiarum Carthaginensium, qui Pœnni dicebantur, Duce, qui creditur huc commeâsse, sive quod Idolum inibi colerent, Pœninum vocatum, versus meridiem in Vallem Urbis Augustæ spectat, in Septentrione Pœnninam Regionem, in Ortu Lombardiam, sive Cisalpinam Galliam, in occasu altissimos glaciæque rigentes Faussignianos montes prospicit. Locus est propè perpetuo frigore, non æstate minùs quàm hyeme algens, nunquam nivium expers, cæterà iniquæ tempestati, caligni, glomis nivium, aliisque malis cum magnis periculis obnoxius. Suprà montem partem dimidiam Xenodochium, alteram lacus glaciæ ut plurimum concretus occupat, viâ ab uno pede montis ad alterum duodecim leucarum est, utrinque sunt fenæ, à loco, qui S. Branchier dicitur, in ditione Pœnnina, usque ad Augustam civitatem. Neque enim ibi terra, nec sylvæ, nec pascuæ sunt, sed nuda & sterilis rupes. Xenodochium in columna Jovis, quod minor Bernardus vocatur, in eodem montis jugo situm est, sed procul à Bernardo majori remotum, penitusque summitati Grajarum Alpium, undè illis nomen transfisse fama est inædificatum. Inde viâ ab Augustana Valle Farentasiam ducit, altitudine, asperitate, incultoque horrore vix alteri cedit. Nihilominus ob Domos hospitalales locus frequentatur ut plurimum, utpotè Regiâ viâ hinc è Gallia, inde è Germania in Lombardiam contendentibus. His hospitibus omnes viatores, recipiuntur, undecunque veniant, pauperes æquè ac divites, quantoque fieri potest, charitate habentur, prout cujusque conditio postulat, tres dies, imò si necessitas requirat, plures retinentur, ut tamen nemini fas sit à quoquam pretium exigere aut compensationem, nisi qui velit vitâ puniri, multò minùs ab ipsis causas & consilia suscepti itineris explorare, ægri quoque ut decet, omnibus obsequiis juvantur. Ejus loci Religiosi diligentem operam adhibent, ut peregrinis auxilia, vecturæque aut jumenta non desint, ut à periculis eximantur, aut si qui sunt mortui, sepulturæ mandentur. Hinc quotidie è suo Cætu destinant, qui hinc atque inde montem obeunt, pane, vino, & igniario, silice, fomento, aliisque rebus ad commeantium commoda necessariis instructi. Interim alii domi re divinâ sunt occupati, neque enim unquam sacra tam submissâ voce quàm cantu peragi solita, neque matutinæ, aliarumque horarum preces desiderantur, quæ quotidie magnâ pietate in primis pro Domûs tutore, aliisque benè de illa meritis decantantur. Sumptus porro ad alendos hospites sunt incredibiles, tantâ nihilominus curâ & studio illis prospicitur, ut transeuntibus nihil si non ad delicias, certè ad vitam sustentandam desit, etsi omnia magnis impensis fiant. Et quoniam nihil inibi crescit, oportet omnia magno labore ac arte aliundè inferre, ipsum adeò lignum totius diei itinere per juga præcipitiis horrida, idque per tres anni duntaxat menses advehere, in quemvis unum pro penu septuaginta vina plaustri comparanda sunt. Obsonium majorem partem è salsa carne constat, etsi singulis triduis recens caro afferatur. Cibi verò jejunio competentes pro modo necessarij usûs aliundè asportantur. Quare cum census annuus ad tolerandos tam immodicos sumptus non sufficiat, coguntur alienam stipem & auxilia implorare, in quem finem quidam loci Religiosi constituuntur, qui subsidia colligant, donaque è vicinis Provinciis tam Catholicis quàm aliis submissa acceptare. Cæterum nullâ fidei aut Sectæ habitâ ratione promiscuè omnibus patet accessus, ac hospitalis charitas, quæ omnes humaniter excipit ob necessarium per ea loca transitum maximaque auxilia, quæ omnis generis nationibus Gallis, Hispanis, Germanis, Helvetiis, aliisque præbentur, quos necessitas cogit illuc commeare. Dicta autem Xenodochia sub Serenissimorum Ducum Sabaudia tutelâ quiescunt, qui quot annis in hunc locum magnam munificentiam exercent. Hinc Symbolam suam Pœnninæ quoque Regionis Primores, quos Dizenos vocant, conferunt, quorum ditio majori Xenodochio est confinis. Cap. 4. Doctores Hebræi in eo libro, quo Sententiæ Patrum continentur, observârunt decem continua miracula in templo Salomonis visa fuisse; quibus Deus ostendebat quantoperè Sacrificiis istis peragi solitis cultuque sibi præstito delectaretur. Verùm dicere ausim, ut nihil censuræ adhibeam aliis beneficiis, quæ idem Deus alicubi pro Sanctorum suorum honore præstitit, eum in his Xenodochiis multa continuò dona prosequi, quibus palàm constet, quantoperè Deo & Opus & Auctor operis cordi sit. An non singularis ac memorabilis divinæ bonitatis favor est neminem aut peste infectis hospitibus extinctum, aut aliundè illam Xenodochio intulisse? peculiare utique Dei potentis donum est, neminem fuisse illa contagione afflatum. An non res est admiratione digna, quamvis neque noctu, neque interdiu eadem Domus advenis ac hospitibus vacent, nullum tamen Religiosorum præcipitio aut lapsu nivium abreptum fuisse, licèt multi alii ibidem fuissent sepulti. Deinde observatum est, neque Dominos, neque Ministros fideles unquam

malum finem cepisse, aut fortunis exutos, aut fidem Creditoribus sefellisse; cum contra ii, qui malè rem administrarunt, Vindicem Dei manum senserint sua sacrilegia punientis. Ad hæc nemo furto, fraude, malisque artibus aliquid sibi vendicavit, qui detectus, meritoque piaculo castigatus non fuisset. An non hæc perpetua Divinæ Bonitatis in has Domos influxio est, quòd tot Summi Pontifices ac Principes eis faverint, ac in tutelam suam receperint. Honorius IV. dictas Hospitales ædes, omniæque illarum bona & dominia in S. Petri, Sanctæque Sedis fidem accepit, magnisque immunitatibus ornavit, ut apparet è Bulla Nicolai Pontificis, qui eam confirmavit, quod & alii ut Joannes XXII. Martinus V. & Joannes XXIII. Eugenius IV. Pius &c. &c. fecerunt, Joannes XXIII. ab omnium Archi-Episcoporum, Episcoporum, aliorumque potestate, visitatione, correctione, subjectione, ac Imperio, sive sint Judices Ordinarii, delegati, an subdelegati, exemit Præpositos, Religiosos, templa, domos, & membra dictorum Xenodochiorum cum Incolis præsentibus & futuris, eorum possessiones, villas, arces, Ecclesias, sive curam animarum haberent, sive vacua curis essent, uti clarè in Bullis patet. Eadem privilegia quoad Jurisdictionem temporalem fuere ipsis à Ludovico Sabaudia Duce concessa, Præpositis ac Religiosis in simplici libello postulantibus. Quæ omnia in eum usum facta sunt, ut liberiùs possent Dei obsequiis vacare, commodiùsque transeuntibus opem ferre. Amadeus Sabaudia Dux, & Maria illius Conjug eadem Xenodochia & Monasteria tutelâ suâ maximisque beneficiis dignati sunt. Postremò in Rocherfortensi arce manu exaratum volumen repertum est, quo ordo & dictarum Domuum restauratio continetur Eugenii IV. jussu facta anno 1437. ubi Regulæ & statuta tam præclara & tam aptè conscripta, ut nihil meliùs excogitari queat; quin & Joannis Cardinalis titulo S. Petri ad Vincula sigilla ex utraque libri parte involucro juxtâ formam authenticam sunt inserta, cum ei ut Delegato id muneris esset commissum. Verùm antè omnia huic loco Sanctitas peculiaris auctoris emicat, quæ opus illius consecravit, cujus memoria semper erit in benedictione & gloria cum Divorum præcipuis comparanda. Et hæc sunt verba Adam Schirmbeck suprâ citati.

Aliam Montis S. Bernardi, & totius circum circa Regionis descriptionem breviorè affert Ægydius Tschudius in suâ Rhœtiâ Alpinâ cap. 34. fol. 181. item Münsterus in Cosmographia Lib. 5. cap. 3. fol. m. 683. & alii plures, quibus pro meliori notitiâ placuit hic subdere etiam illam, quam in rem præsentem gratiosè subministravit modernus loci Præpositus.

Exemptis Xenodochialibus Collegiis Montis & Columnæ Jovis, quia Montes isti Jovi sacri erant, & antè Germanici nuncupati, Divus Bernardus Civitatis Augustæ Prætorie Ecclesiæ Cathedralis, pro tunc omninò Regularis Archi-Diaconus, & Baronis Menthonensis in ditione Genevensi Dynastæ præclarissimi Viri, unicus filius, undè & Bernardus à Menthone nuncupatus, anno circiter post Deum hominem nongentesimo sexagesimo nono initium dedit post insignem reportatam ab infernalibus Larvis victoriam, simulacrùmque in dicto monte eversum, & carbunculum in columna Jovis comminutum, ac Dæmones in utroque subactos, quos ad præaltas Montis Mailleti duabus leucris illinc distantis voragines æquè hominibus ac feris invias prodigioso planè portento, usque ad finem mundi relegavit includendos, ac deinde victorum triumphantium more in locis divina manu & consilio devictis duo Xenodochia tanquam binas præsidarias arces adversus Dæmonis infestationes ædificare, superstitionem in veram Religionem, Pantheon in veri cultûs templum, & stygiorum speluncam latronum in Religiosam desideratissimæ charitatis Domum commutare sanctè cœpit cogitare. Itaque privatis suis parcimoniis (pane quippe & absinthio de reliquo vitæ contentus) & Archi-Diaconatûs sui redditibus duorum Xenodochiorum unius scilicet, in monte alterius in columna Jovis fundamenta jecit, quæ Patris Patruique piis legatis accedente simul Regalis Cellitudinis Sabaudia Ducum munificentia, & piâ multorum aliorum largitate fundavit, atque ad eam saltem perfectionem deduxit, ut sex Canonici de gremio præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Augustano-Prætorie quasi divinitus inspirati in simul elegerit de posthac hic habitare, Deo laudes tam nocturnas quam diurnas jugiter decantare, & qualescunque transeuntium necessitates charitativis subsidiis pro posse juvare. Stupendâ proin hujuscemodi metamorphosi, longè latèque propalatâ, & Xenodochialibus Collegiis accedente potissimùm (ut in antiquis chartis habetur) angelico etiam ministerio vertentibus annis Augustissimi quidam Imperatores (quorum unus Hospitale Montis Jovis secundum à sua Sede Palatium appellavit) Reges & Principes Christiani multis ac variis locum non tam augmentârunt, quam

quàm liberaliter dotârunt & ornârunt gratiis, libertatibus, privilegiis, donis, & possessionibus.

Modò priusquàm ulteriùs pregre diamur, commodè hic inferere placet memoratam illam insignem victoriam, à sâpèdicto S. Bernardo nostro ex Dæmone fortissimè devicto, gloriosè reportatam: de qua in præallegata ejusdem S. Confessoris Bernardi vita loco suprâ citato cap. 10. pag. 74. ita legitur: Dum S. Bernardus suum munus constanter persequitur factus cum Davide seipso quotidie melior, & cum iusto crescens usque ad perfectum diem, intereà Augustæ Salâstorum fama, vel veriùs rumor vulgatur, Dæmonem in monte & columna Jovis magnam vastitatem & stragem fecisse, quando nuper adeò undecimum, aut, ut Breviarium loci ait, decimum quemque è Gallis peregrè Romam illac transeuntibus abripuit, reliquis metu consternatis, in urbem profugientibûs. Igitur Bernardus pro consueto suo ardore à peregrinis mali totius Originem perdiscere voluit; à quibus inprimis audit, Romanos valle Augustanâ Duce Terentio Varone imperante Augusto potitos in jugo Pœnninarum Alpium in ipsa semita dictæ Vallis, qua Pœnnina ditio aditur, Jovi statuam erexisse, quam Pœnnini postea dejecerint, Pœnnini Dei sui simulacrum in ejus locum suffecturi. Ad hæc Virum quemdam divitem ac potentem Polycarpum nomine in Grajis alpebus viæ Tarantasium ducenti, columnam è Porphyretico lapide affabrè elaboratam imposuisse, in cujus Epythilio carbunculum ingentis pretii collocavit, quem Jovis oculum dixere, quòd opinarentur Jovem inde citiùs ac longinquius ægrorum suam opem inclamantium, morbos intueri. Hinc decursu temporis factum, ut Dæmones nullo alio ritu in possessionem acciti, statuam & carbunculum occuparent, & plurium locorum circumjacentium incolas, nuper ad Christum recens adductos, immani barbarie ac tyrannide cogerent Divinum sibi cultum habere ac sacrificare, immania supplicia, mortemque, si parere nollent, interminati. Ac videbatur ex parte iis benefacere, qui metu compulsi à Dei cultu descivissent, dum eos induxerunt, si semel potuissent accuratè carbunculum inspicere, omnium malorum remedium ipsos habituros. Populus igitur iis præstigiis ac immanibus commentis deceptus facilè in Orci insidias incidit, quorum aliquibus in speciem sanitati restitutis, alii in fraudem inducti, alii crudeliter in viis jugulati sunt, omnes autem Dæmonum ludibrio ac deceptioni patuerunt. Porrò longè majores tragædias in Alpibus Pœnninis excitârunt statuâ Jovis abusi: ubi olim ara fuit Pœnnini Numinis sacrificiis destinata: illic enim undecimam aut decimam rei cujuslibet præterfectæ partem pro tributo exigebant, omnibus etiam hominibus decimatis; è quibus undecimum cunctis inspectantibus in ignotum locum abripuerunt. Unde viæ rariùs trita, & oppida fuere incolis nudata. Perlatum quoque ad Bernardum fuit, Cives Augustanos ac reliquam viciniam ab ejusmodi spectris infestari solitam, ad jejunia & preces publicas confugisse, ut à Deo Virum Sanctum impetrarent, qui malignos spiritus illinc abigeret; idque ab ipsis eo ipso tempore factum, quo Bernardus ex arce Mentonia in illas partes concessit. Ex quo facilè conjici potuit, ipsum illuc à Deo in eum finem fuisse submissum. Quare Divino Spiritu vehementer instigatus ad conclave secedens per gloriosæ Virginis ac S. Nicolai Patroni sui merita, Deum enixè rogat, uti velit genti auxilium ferre, pulsaque Dæmonis tyrannide, ditionem illam expurgare, orci larvis ad inferos ablegatis. Ob eam rem paratum se dixit vitæ ac sanguinis impendio publicæ salutis consulere. Sequenti dein nocte, ut post consuetas pietatis exercitationes solebat, quietem captandi S. Nicolai peregrini habitu adstat, Deique jussu eum allocutus, jubet in Pœnninarum Grajarumque Alpium summitatem eniti; ut inde iniquum possessorem & fortem armatum ejiciat; pollicitus, Deum illi auxilio, & successum operis felicem fore. Post hæc ordine illi modum præscribit, quem in exorcismis teneat, quosque ad hoc negotium comites adsciscat. Confestim igitur desertò stratò, summo mane ad Foiscom suum se confert, ostentòque cœlesti exposito addit, credere se, hunc S. Nicolaum, Patronum suum fuisse: qui cum aliàs sibi promississet, Dæmones ex Alpibus se rugaturum, promissa sua velit eventu probare. Tum demissè rogare, obtestarique Præfulem institit, ut juvare suos conatus juberèque vellet, ut populus universus cum Clero supplici agmine ad S. Remigii oppidum, quod est ad montis pedem situm, comitaretur, ibique dum rediret, inter preces operiretur. Solennis igitur supplicatio instituta insigni ordine ad præstitutum locum deducitur: ubi Bernardus omnes ad preces intereà continuò faciendas cohortatus, sumptis secum decem peregrinis Gallis, ac ut erat à Deo commonitus, præire jussis, ipse undecimi locum occupans, Archi-Diaconi habitu & pedo instructus rectè in hostem contendit, certus eum adoriri ac profligare. Dæmon, ubi advertit, se peti, & fidelium exercitum ad montis radicem in armis esse, manipulum quoque voluntariorum militum, quos S. Bernardus duceret, se oppugnatum,

tum eque munitione deturbatum venire: vim antevertere parans, à terrore velitationi initium dedit. Densâ igitur nive ac spississimis nubibus gravem procellam minitantibus, obducto monte diem eripit. Mox ingentes ventorum turbines excitat, ignibus identidem ac scintillantibus flammis intermicantibus, quæ perpetuò abruptis intervallis vibratæ, simul oculos perstrinxerunt, & tonitruum fragore aures obtuderunt; grandine, fulminibus ac tempestatis rabie, omnia commiscentibus. Tantus erat eò loci horror, ac tempestas tam formidabilis, ut cordatissimo cuique animus defuisset, non dicam, cæptum conflictum ac iter profèqui, sed vel intueri montem igne & Dæmonum furore penitus ardentem. Verumtamen S. Bernardus nihil inani terrore commotus, locis bono esse animo jussis, intrepidus præcedit pede semper in novam possessionem ulterius immisso. Sed quò propior montis fastigio imminebat, tantò pugna fuit calidior. Bernardus nihilominus, ut erat invicti animi, ac de victoria omninò certus, etsi in mediis flammis, turbine ac grandine versaretur, attamen illæsus & intactus, rectâ eò contendit, ubi idolum erat collocatum: quod ingenti vociferatione, mugitu, sibilis, rugitu insanum in modum furens videbatur velle undecimum rapere. At ille sacerdotali habitu, ac scipione obarmatus, instar Davidis, adversus hunc Colossum procedit, ac efformato in eum Crucis signo, stolam ejus collo injicit: quæ subitò in ferreum catenæ orbem mutata est, eâ solum parte exceptâ, quam Bernardus manu tenuit. Inde totis viribus adortus, e basi dejecit, statuamque lapsu suo comminutam terræ illidit. In hunc modum omnes Orci machinæ funditus conciderunt. Post tam heroicum facinus, ut victoriam accumularet, hostemque subactum armis exueret: exorcismis Dæmonem, veterem Statuæ possessorem aggreditur, urget, ac Dei nomine jubet, eo loco quamprimùm abscedere, ac inhabitatas Montis Mailletani voragines duabus illinc leucis versùs occidentem distantes immigrare: neque inde unquam antè mundi finem emergere: prohibitus quoque singulari imperio fuit, ne quavis ratione ulli in eo ergastulo noceret. Hoc audito imperio Dæmon instar fulminis excessit tanto cum fragore, ut non mons duntaxat, sed orbis universus in se ruiturus videretur. Tum demùm Cœlo reddita serenitas, panicisque terroribus evanescentibus, iter deinceps transeuntibus innoxium fuit: & S. Bernardus cum peregrinis, gratiâ Deo actis ad S. Remigii oppidum rediit: ubi Episcopus ac cives omnes confternati precibus insistebant, reditu Bernardi Comitumque penitus desperato. Mox illis reversis omnia in lætitiâ versa, & pugna in gratiarum actionem commutata est: solennique carmine laudibus Deo persolutis, triumphi specie hostis devicti spolia eodem agmine in Urbem, tam felici eventu gestientem pertulère. Ubi Civitatem intrârunt, bonus Antistes in S. Bernardi gratiam suo se voluit munere abdicare, idque ut ajebat meliori sè cedere: quemadmodum res ipsa loqueretur. Sed & in hoc conflictu humilitate & modestiâ Bernardus vicit: sapiensque Præsul superatus, postea semper meritis, ac Sanctitati Archi-Diaconi sui primas detulit. Atque hoc primum ejus prælium fuit. Nunc ad secundum non minùs isto gloriosum transeamus.

Dæmon ne quid perderet, néve ditionem suam diminueret; ubi vidit tam turpiter se fugatum, ac jure suo exutum, quod in Montem Jovis antè sibi usurpaverat; conatus est damnum illud denuò refarcire, tanto majori furore, propè Carbunculum supersticiosum, de quo supra mentionem fecimus, immaniter debacchatus. Ibi ergò mala omnia simul molitus, astu, impietate, exagitatione, rapinâ, crudelitate, vexatione variâ Viatores & Inquilinos adeò fatigavit, ut nemo illic ampliùs auderet comparere. Quâ de re Bernardus certior factus, denuò ad Episcopum reversus, rogavit, ut hac saltem vice supplicationibus, publicisque precibus ad expugnandam Diaboli potentiam auxilio sibi esse vellet. Et certè videbatur prima victoria sequenti viam stravisse. Igitur ubi de instituenda supplicatione fama percrebuit, infinita multitudo accurrit, ordinèque ad Grajas Alpes, quæ à Columnâ Jovis nomen habet, progressi, ad alterum conflictum descendere. Quo agmine hostis exterritus, & imprimis Bernardi Sanctitatem malo suo sibi perspectam formidans, non ausus est ampliùs in acie ipsum opperiri, sed non expectatâ clade ultrò locum deseruit. Ergò arcis illius victores absque armis triumphârunt: & Archi-Diaconus Josæ Regis Idolorum Aras demolientis, & Moysis vitulum aureum in pulverem comminuentis, exempla secutus, Carbunculum arreptum contrivit, & in plures partes distracti pulveres ventis objecit. Eo facto, postquam locum expiavit, vetuitque malignos Spiritus quidquam exitiale ibidem moliri, victoriâ memorabili potitus domum revertitur, Divinæque Majestati cum populo universo solennes gratias agit. Dignus profectò erat Vir Sanctus, cujus memoriæ altissima columna erigatur, eique Carbunculus tam fructuosæ Charitatis index imponatur, qui pretiosâ luce totum Orbem illustret. Cæterùm facinora hæc tam rara, excedere fidem, ac esse commentitia quibusdam censoriis, sed judicio laboranti-

bus, ingeniis non ob aliam causam videbantur, quàm quòd ipsi non legerint: atqui antiquitas res multò admiratione digniores per idoneos auctores nobis suppeditat; nam præter constantem famam ad nostra usque tempora derivatam, ac monumenta etiamnum illic visenda id, quod S. Prosper in suis Prædictionibus de Romano Dracone recenset, qui quolibet anno Virginem ipsi Sacrificium afferentem devorabat, donec Vir quidam Religiosus ac Sanctus dextrè magnòque animo confecit, æquè insolitum est, quàm quòd modò recensuimus. Postquam supplicatio finita est, S. Bernardus geminum prodigium altiùs in animum admittens, æquum putavit, immortales Deo gratias agere, ac veluti Moyse, Josue, David, aliique hostium Domitores consueverant, æternum trophæum erigere. Duos igitur triumphales arcus parabat statuere non à suo, prout Saulus & Abialon fecerunt, sed Dei pugnantis & vincentis nomine nuncupandos: gemina videlicet Monasteria & Xenodochia per Canonicos Regulares S. Augustini administranda, qui ad Deum ritè colendum, dies noctèsque melodiâ Psalmorum ac Sacrificiis rem divinam procurarent. Utque proximum juvarent, advenis eo, quo jubebantur, ordine inservierunt, quos in periculis adjutos humaniter, ut Christi Discipulos decebat, domi suæ tractarunt. Quæ omnia S. Nicolai Patroni sui auspiciis, nomine & patrocinio perpetuo fieri voluit, Eo tamen salubri consilio superstitionem in Religionem, Pantheon in templum veri cultûs, Latronum speluncam in Religiosorum magnâ charitate in omnes præditorum Domicilium commutavit, modumque invenit futuris exindè Sæculis omnibus Europæ Provinciis benè faciendi: quæ hodièque omnium viatorum illac commeantium loco, Religiosis inibi Viris obstrictæ sunt, summis officiis, ac humanitate in prætereuntes utentibus. Ejus verò ædificii primi ac vivi decem lapides fuère decem illi Galli peregrini, prodigiorum in utroque monte patratorem oculati testes, quorum exemplo multi alii allecti eorum Cœtui sese adjunxere: qui post septingentos annos ad hoc usque tempus in flore summo integerrimus consistit: quemadmodum & alii Ordines florent, qui pro scopo suo misericordiæ atque charitatis officia, ceu gemmas, & primos jactus, ac fundamenta divini templi præfixerunt. Ut autem non minùs strenuè negotium exequeretur, quàm piè susceperat; intereà dum operi finis imponeretur sibi ac sociis in Monte Jovis parva gurgustiola exstruxit, ubi aliquot annis commoratus simul Religiosorum ac ædificii curam habuit. Duo autem opera moliebatur; unum in Monte Jovis, quod hodiè Bernardus Major vocatur; alterum in Columna Jovis, quod nunc Bernardum Minorem indigitant, bidui intervallo à Majori distantem. Eo quoque loco Religiosos quondam constituit, quos per annum subindè adibat tum solatio futurus, tum eos ad studium virtutis animaturus. Primum ædificium mille nummis aureis fuit absolutum: quos ille ex Archidiaconi censu comparavit, jejuniis & abstinentiæ tam deditus, ut solâ oratione sustentari videretur. Hoc sanè erat Sanctorum Virorum receptam sententiam factis exequi, jubentium Christi patrimonium in pauperum usus ac domos erogari. O si omnes hoc Spiritu essent afflati, O si omnes Bernardi, Chrysostomi, Eleemosinarii, Paulini, Ximenii, Caroli forent, quanto in flore fas esset Ecclesiam intueri; nostrum quidem Sæculum non est adeò sterile, ut ejusmodi Viris careat, attamen numerus eorum tantus non est, ut major optari non posset. Ego ita existimo si jubear sententiam dicere, alterum Bernardi opus fuisse primò præstantius, ac pluris habendum, quòd ad Dei & proximi obsequium duas Sedes exædificavit, quàm quòd bis Dæmonem triumphavit. Cæterum obiit Sanctissimus Fundator iste Bernardus Christi anno Millesimo octavo 15. Junii die Veneris post Festum SS. Trinitatis, quo Heros hic invictus Cælos ingressus est, dierum ac meritorum plenus, ut laborum mercedem acciperet, qua in re multa concurrerunt observatu digna, quæ tamen Lector è simplici narratione satis assequetur. Porrò exequiæ conceptæ Sanctitatis opinioni pares celebratæ sunt, corpusque in Monasterio S. Laurentii Novariæ humatum, quod hodiè intrâ Urbis mænia continetur. Ejus sepulchrum tot manifestis ac inauditis miraculis fuit nobilitatum, tantòque populi accursu frequentatum, ut sequenti mox anno die 23. Maji ritu solemnè Divorum Catalogo fuerit adscriptus. Quo factò sacrum ejus Corpus magno apparatu denuò exhumatum, loculòque marmoreo eleganter exciso repositum est; in quo velut honorariâ Cathedrâ requiescit. Huc ex omnibus Provinciis ingens peregrinantium multitudo confluit: erga quos se quotidie beneficium ac propitium exhibet. Constitutum quidem erat, ut Salafforum Augusta in Montem Jovis transferretur: sed videtur Deo aliud cordi fuisse; quandoquidem Monasterium ac Hospitalium ædium Præpositi nunquam potuerunt sumptus præstare, translationi necessarios, sive quòd bella & turbæ publicæ obstarent; sive quòd Eleemosinæ, atque gratuita largitiones essent pauciores: sive denique Deo placuerit, Servi sui Sacris Reliquiis locum ac honorem absque ulteriori mortalium apparatu procurare. Atque hæc est tota historiæ Bernardi Montani Collegii series; Cæterum manent sæpè memorato huic in

Monte

Monte Jovis seu Bernardi Majoris Xenodochiali Collegio jam à primo tempore fundationis pleno jure subdita, & incorporata quævis alia (atque hæc inter disertè numerantur integræ etiã Abbatiæ, Præposituræ Ecclesiæ, Capellæ, Præbendæ in Capitulis Cathedralibus licet sæcularibus jam ab antiquissimis temporibus obtentæ &c. &c.) beneficia, de quibus nonnulla manent titulo Prioratûs inclÿta, sed & eadem cum suis juribus & proventibus in totum illi unita quamvis diversis in locis & Regionibus præsertim in Diœcesi Gebennensi, Lausanensi, & Gracionopolitana, item in Apulia tum iniquitate temporum, tum nequitia hæresum satis imminuta; faxint superi quantocyus in integrum restituenda.

Syllabus

Antistitum, qui Magni Præpositi nomine & titulo inclÿti tum in Monte Jovis seu ad S. Bernardum Majorem, tum etiam ad S. Bernardum Minorem seu in Columna Jovis à prima fundatione usque ad nostra tempora successivis vicibus simul & semel præfuere.

I. Sanctus Bernardus à Menthone Fundator anno 962.

II. Richardus à Valle Diseria, seu *Valdiseranus* communiter appellatus, vir eximie virtutis, idem antèdicti S. Bernardi in Archi-Diaconatu Cathedralis Ecclesiæ Augustensîs, & geminâ Præpositurâ Successor inclÿtus Sanctissimo Prædecessori suo non solùm à Consiliis, sed etiam à consuetis Religiosæ pietatis Exercitiis Sodalis & perquam familiaris, post mortem itidem vitæ & Miraculorum Scriptor anno 1008.

III. Joannes. anno 1032.

IV. Valcherus. anno 1062.

V. Uldrinus.

VI. Amandus.

VII. Guido. anno 1219.

VIII. Petrus. anno 1220.

IX. Martinus. anno 1232.

X. Falius. anno 1240.

XI. Falco. anno 1250.

XII. Joannes de Vignerio. anno 1314.

XIII. Joannes de Duniato. anno 1320.

XIV. Guilielmus de Thora. anno 1324.

XV. Guilielmus Pleotetti. anno 1334.

XVI. Guilielmus de Pisis. anno 1350.

XVII. Rudolphus de Billens. anno 1358.

XVIII. Joannes Vignerius. anno 1360.

XIX. Aymo Sicalci ex Archi-Episcopo Tarentasiensi Patriarcha Hierosolymitanus, spineæ coronæ Servatoris nostri Jesu Christi, vel secundùm aliquam partem hodiernum in Ecclesia S. Bernardi Majoris Religiosissimæ servatæ Donator eximius. anno 1381.

XX. Humbertus. anno 1397.

XXI. Hugo de Arciis. anno 1402.

XXII. Joannes Salvagi. anno 1429.

XXIII. Joannes de Arciis factus Archi-Episcopus Tarentasiensis. anno 1433.

XXIV. Joannes de Grolia Commendatarius Primus. anno 1437.

XXV. Joannes de Solario. anno 1449.

XXVI. Franciscus à Sabaudia. anno 1450.

XXVII. Joannes Ludovicus à Sabaudia. anno 1486.

XXVIII. Philippus à Sabaudia. anno 1500.

XXIX. Joannes de Foresta. anno 1512.

XXX. Philippus de Foresta. anno 1524.

XXXI. Rhenatus de Tollein Commendarius ultimus. anno 1563.

XXXII. Andreas Tollerus. anno 1586.

XXXIII. Rolandus Viottus. anno 1605.

XXXIV. Michaël. Perimod. anno 1644.

XXXV. Antonius Budhad. anno 1651.

XXXVI. Antonius Norat S. R. E. Protonotarius J. U. Doctor SS. Nicolai & Bernardi Montis ac Columnæ Jovis Præpositus: Dominus Milleret, Turris Rotundæ Lupini & Macellæ, Con-Dominus Tollonis Rupis apud Aquiferfet, Abbas S. Jacobi Augustæ Prætorix & Castri Argentei: Prior Cathedralis Ecclesiæ Augustensis Canonicus, Regiæ Celsitudinis Sabaudix Consiliarius, & Eleemosynarius &c. &c. de cujus gratiosâ manu hunc Syllabum ab eo, qui ponitur ad finem historiæ seu vitæ S. Bernardi jam supra citatæ nonnihil diversum, utpotè magis auctum & emendatum accepimus anno 1691. mortuus circa annum 1694.

XXXVII. Joannes Perfort. rexit 30. annis.

XXXVIII. Ludovicus Bonifacius, rexit 4. annos. 4. Augusti 1728. moritur.

XXXIX. Leonardus Gorioz. Ipso die, quo prior decessit, electus.

MONS CORNELII,

Jam ab antiquo hujuscemodi nomen indeptum propè Leodium utriusque Sexûs seu Canonicorum simul, ac Sacrarum Virginum de Canonico Ordine Augustiniano Monasterium recensetur ab Henschenio Tom. 1. Aprilis die 5. Mensis ejusdem in Vita S. Julianæ V.

MONS FAGORUM,

Seu *Monasterium Beatæ Mariæ Montis Fagorum*, vulgò *Beverberg Diocesis Constantiensis*. Hæc Aubertus Miræus in Catalogo cap. 13. nec plura. Siquidem æquè nomen ac realis existentia Monasterii istius in tota antememorata Diocesi Constantiensi jam pridem exolevit.

MONS S. PETRI.

Seu communiter *Abbatia Petri Montis* intitulata, Sacri Ordinis nostri Monasterium in Ducatu Lotharingiæ usque modò florentissimum, cujus etiam Gabriel Pennotus meminit in Historia tripartita Lib. 2. cap. 39. num. 6. qui tamen de eadem Abbatia ista vel paucula solum sequentia depromit: *In Episcopatu Metensi sunt duæ Amplissima Abbatia, quarum altera dicitur S. Clementis extra muros Civitatis Metensis, altera S. Petri Montis, ambæ Ordinis S. Augustini: ex Lib. Taxarum Apostolicarum.* Et sic ille. Verùm ad ampliorem Celeberrimæ Petrinæ Canonix hujus (hodiè nominatissimæ illi, quam *Salvatoris Nostri* vocant, Congregationi combinatæ & incorporatæ) cognitionem præstat hic producere & apponere quoque ea, quæ nuper inde ad nos perscripta suscepimus sequentia: Fundata fuit Abbatia ista anno Domini 1096. à Mathilde Bonifacii Lotharingiæ Ducis Filia, Barri Ducissa in loco priùs Standalmont nuncupato, intrâ fines Comitatus Briensis, Ducatus Barrensis & Diocesis Metensis, quam multis Dominiis, juribus, feudis, & allodiis liberis tum præfata Mathildis, tum alii Principes ac Dynastæ locupletârunt. Eidem Summi Pontifices plura privilegia, innumeras libertates, & exemptiones concesserunt, inprimis verò Urbanus II. Pontifex Maximus, qui Ecclesiam S. Petri Montis ab omni potestate ac jurisdictione liberam soli Romanæ Ecclesiæ subjectam, & ab ea immediatè dependentem esse voluit, in cujus libertatis signum clavem in cujusque Abbatis scuto & sigillo apponi jussit. Adspèctans autem Ecclesia illius consecrata fuit in honorem Principis Apostolorum à Mathæo S. R. E. Cardinali Albanensi Episcopo, & proprio Metropolitanò Alberone Archi-Episcopo Trevirensi & Apostolicæ Sedis Legato anno Domini millesimo centesimo trigésimo tertio pridie nonas Maji. Dependebant olim à Petro-Montanâ Abbatia ista duæ aliæ itidem tales insignes Regulares Abbatia, quarum una vocatur Freystorff in Episcopatu Metensi, altera Berlancour in Episcopatu Catalaunensi, quarum Abbates electi ab Abbate S. Petri Montis confirmationem accipientes primas in omnibus ei cedebant. Item eidem Ecclesiæ S. Petri Montis censum annum pendebat insignis Abbatia

tia trium Fontium Ordinis Cisterciensis. Cæterum hujus Ecclesiæ S. Petri Montis Abbas (semper juxtâ morem à Capitulo dicti loci eligendus) omninò gaudet usu Baculi Pastoralis & Mitræ Præfularis, Sedémque primariam inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Metensis & dignitatem obtinet, cui eidem etiam competit Jus Patronatûs, sive nominationis in plures Parochias intrâ Dioceses Metensem, Trevirensis & Virdunensem constitutas. Abbatum Series usque ad nostra tempora incorruptè computata talis est :

Syllabus Abbatum.

- I. Guacelinus præfuit annis 14. obiit anno 1113. die 28. Maji.
- II. Rudolphus annis 27. obiit 7. Julii anno 1140.
- III. Constantinus annis 14. obiit 4. Novembris anno 1154.
- IV. Gualterus annis 23. obiit 15. Maji anno 1177.
- V. Joannes annis 4. obiit 23. Junii anno 1181.
- VI. Albertus annis 23. obiit 28. Februarii anno 1214.
- VII. Petrus annis 14. obiit 21. Augusti anno 1228.
- VIII. Nicolaus annis 45. obiit 7. Julii anno 1273.
- IX. Varnerus annis 10. obiit 3. Octobr. anno 1283.
- X. Jacobus annis 15. obiit 28. Octobr. anno 1298.
- XI. Philippus, qui vestem albam contrâ primævum Institutum assumpsit, præfuit annis 7. obiit 3. Junii anno 1305.
- XII. Remigius præfuit annis 35. obiit 14. Maji anno 1340.
- XIII. Joannes de Briey annis 24. obiit 26. Novembr. anno 1364.
- XIV. Habeletus de Sorbey annis 6. obiit 10. Novembr. anno 1370.
- XV. Nicolaus de Sancey annis 23. obiit 28. Augusti anno 1393.
- XVI. Becelinus annis 2. obiit 1. Februarii anno 1395.
- XVII. Valterus annis 7. obiit 12. Maji anno 1402.
- XVIII. Henricus annis 26. obiit 27. Junii anno 1428.
- XIX. Alexander de Mercy annis 24. obiit 10. Novembr. anno 1452.
- XX. Gerardus de Bettainviller annis 31. obiit 18. Febr. anno 1483.
- XXI. Collignonus de Briey annis 47. obiit 27. Martii anno 1530.
- XXII. Dominicus de Ville on Mattoy annis 13. obiit 17. Januar. anno 1543.
- XXIII. Ludovicus Robertus d'Arrancy annis 17. obiit 3. Nov. anno 1560.
- XXIV. Nicolaus Franciscus de Trieux annis 14. obiit 17. Octobr. anno 1574.
- XXV. Joannes Deodatus de Sancy, electus ante adeptam Possessionem. obiit anno 1575. calendis Junii.
- XXVI. Joannes Marius, Primus Visitator Generalis per totam Lotharingiam annis 22. obiit 18. Augusti anno 1597.
- XXVII. Joannes Domant, qui vestem nigram reassumpsit, & Infulam impetra- vit, præfuit annis 23. obiit 28. Febr. anno 1621.
- XXVIII. Desiderius Gerard Electus, at non confirmatus ob quosdam prætenfos defectus, in Electione ejus inventos, in cujus locum nominatus est Abbas Commenda- tarius pro hac vice tantùm Joannes de Porcelets Episcopus Tullensis annis 4.
- XXIX. Henricus à Lotharingia, qui autoritate Serenissimorum Lotharingiæ Ducum de consensu Capituli factus est Abbas Commendatarius secundus præfuit an- nis 2. obiit anno 1628.
- XXX. Nicolaus Franciscus Cardinalis à Lotharingia per postulationem Capitu- li tertius Abbas Commendatarius præfuit annis 5. obiit anno 1633.
- XXXI. Guido Lemulier electus, & deinde Præpositus Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Salvatoris nostri. obiit anno 1642.

XXXII. Ægydius Broicin Canonicus Regularis dictæ Congregationis Electus, at non Bullatus. obiit anno 1675.

XXXIII. Achillæus Franciscus Massu Canonicus Regularis dictæ Congregationis, Electus nec tamen Bullis munitus 1688. nam interea Bullas & redditus primarios obtinent Commendatarii. Introducta fuit in hanc Abbatiam Reformatio anno 1625.

MONS SERENUS.

Teutonicè *Lauterbergum* insigne quondam Canonici Ordinis Collegium in Saxonia, sed nunc prorsus extinctum. Memoria tamen illius conservata est in speciali Chronico, quod apud Jo. Burck. Mencken inter *Scriptores Rerum Germanicarum* Tom. II. invenitur; illud tamen nondum viderat Author noster. Quare Lectoribus benevolis, fata celeberrimæ hujus Canonice scire cupientibus, præfatum Chronicon commendamus. Breviter adnotare hic liceat, Secundarium Fundatorem *Montis Sereni* fuisse CONRADUM Marchionem Misnensem, qui etiam Imperiale ac Celeberrimum Monasterium ELCHINGENSE in Suevia fundavit. Tandem piissimus hic Marchio post mortem LUCARDÆ Conjugis vanitatum sæculi pertæsus, Anno MCLVI. in Festo S. Andreæ Apostoli Canonico Regularium, sub Regula S. Augustini militantium vestem in *Monte Sereno* induit. Vixit autem post Conversionem suam mensibus duobus, & diebus quinque: atque sic consummatus in brevi explevit tempora multa. Hæc ex *Sereni Montis* Chronico.

MÜNSTER - BÜLSEN.

Seu *Monasterium Belisæ* Canonissarum primùm quidem Regularium, exindè verò Sæcularium Collegium Diocesis Leodiensis, quod hodie dùm floret, quamvis jam pridem sæcularisatum, secundùm initia sua seu primam (pro Claustralibus Domicellis) foundationem suam circa annum Domini 700. gloriôsè factam recensetur à Constantino Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonico die 8. Julii in hæc verba descriptum: *In territorio Leodiensi Monasterio Belisæ S. Landradæ Virginis, quæ Nobilibus orta Natalibus ab ineunte ætate devota pauperibus subsidium afflictis solatium, Clericis & Sacerdotibus reverentiam, omnibus, quoad potuit, benignitatem exhibuit, nuptiis posthabitis soli Sponso jejuniis, ciliciis, vigiliis corpus domabat, ac orationibus & cælestibus meditationibus magis quàm cibo vesciebatur, & miraculis coruscans Monasterium Belisæ ædificavit, ubi multæ ad eam Virgines & Deo devotæ famulæ confluebant. Vidit etiam sibi Cælitus delatam crucem, cujus adhuc vestigia in marmore extant, simulque vocem audivit dicentem sibi: Accipe Landrada hoc ab immortalis Sponso Charitatis pignus, ipse tibi Crucis mittit Sponsalia, qui in Cruce moriens restauravit omnia; quo in loco ipsa laborans propriis manibus cooperante Dei gratiâ Ecclesiam Beatæ Virgini Matri Mariæ ædificavit, quam S. Lambertus Episcopus Leodiensis (anno Christi 698. die 17. Septembris cælis receptus) allatis Sanctorum Reliquiis consecravit; ubi dum Dei Virginum præfecta est Collegio, etiam Sanctam Amalbergam optimè instituit, tandem correptâ febre, lata cucurrit obviam Christo, & per revelationem absenti significavit Sancto Lamberto, se in loco Crucis, villa S. Bavonis humari velle, at adveniens S. Episcopus id obtinere non valuit, cum vellent omnes, ubi vitam duxerat, reponere, sed divinitus factum est, ut corpus & locus in præfatum locum sit translatus, Angelico procul dubio Ministerio, ubi quotquot quacunque infirmitate gravati cum fide accedentes, curati sunt. Claruit circa annum Domini 700.*

MÜNSTERLINGENSE,

Vetustissimum suis initiis primùm Canonissarum Augustinianarum Parthenæum, hodie verò Monialium Benedictinarum Domicilium, Imperiali Collegio (jam supra recensito) Creuzlingano foundatione suâ coætaneum, quod utrumque novum condidit, ac pro more præcis sæculis usitato alterum alteri vicinum ædificavit S. Conradus, id ævi Constantiensis Episcopus, quo eodem pientissimo Antistite sub annum gratiæ 976. cælis recepto, & Regularibus Canonicis Creuzlinganis vel immanissimâ persecutione Hunnorum trucidatis, vel alio translatis ejusdem S. Conradi Fundatoris in officio Pastoralis Successor (intermedio Gaminoldo) proximus S. Gebhardus itidem Constantiensis Episcopus hujus nominis secundus, ordine verè XXXII. à pristino primæ foundationis fundo pariter transferri fecit in alium locum, communiter Münsterlingen

lingen appellari solitum, ubi nostrâ etiam ætate Venerabile quoddam Regulæ Benedictinæ Cœnobium; quod tamen ipsam, ut diximus priùs fuit Canonissarum Regularium Sodalitium, prout (præter Pennottum nostrum in Historia tripartita Lib. 2. cap. 39. num. 6. & Jacobum Manlium in Chron. Constantiens. Editionis Pistorianæ fol. 715.) produnt etiam Statuta Synodalia Diœcesis Constantiensis de anno 1567. apud eundem Manlium citatum in Catalogo Monasteriorum sub titulo *Monasteria Virginum per Præpositas & Magistras regi solita*: ubi regeruntur sequentia: *Pro parte Reverendæ Domine Præpositæ* (se nunc Abbatissam vocantis) *& Conventus Monasterii Münsterlingen Ordinis Canonissarum Regularium nunc S. Benedicti Reverendissimus Dominus Abbas Hieremitanus se Procuratorem constituit &c.* Casparus Langius Part. 1. Lib. 2. cap. 15. art. 2. §. 6. fol. 1075. Edmundi cujusdam Anglorum Regis filiam nomine Angelam (quæ S. Gregorium Abbatem Einsidensem fratrem Germanum habuit) Münsterlingensis Parthenonis hujus Fundatricem quidem constituit, atque simul etiam primas loci hujus Moniales antiquitus Regulæ Benedictinæ morem gessisse, suâ opinione sentit; qui tamen suam hanc sententiam non nisi meris probabilitatibus inniti ultrò edicit, juxtâ simul constanter asserens, hæc in parte de Ordine S. Augustini certissimè constare, nec non eundem Ordinem Canonico-Augustinianum circa annum 1245. isthuc loci plurimum effloruisse, ut & anno 1497. auctoritate Apostolicâ ab Alexandro Papa VI. stabilitum, multas temporibus suis genuisse filias seu Domicellas Canonico-Augustinianas rarâ vitæ Sanctitate conspicuas, quousque demùm diuturnâ temporum iniquitate Moniales Regulares numerò & meritò imminutæ defecerunt, hujuscemodi Claustro de posthac Vestalibus Benedictinis concessio, quod factum est anno 1547.

MUSSIPONTANUM,

Novum in notissima hujus nominis Civitate Lotharingiæ Canoniorum Regularium Monasterium S. Nicolao Episcopo Myrensi & Confessori consecratum, Caput seu primum Commembrum est Venerab. Congregationis *Salvatoris Nostrî* intitulatæ, cujus Descriptionem secundum primas Origines suas gratiosè nobis communicatam accepimus sequentem: Ecclesia S. Nicolai antedicta ab Illustrissimis Dominis de Porceletis ædificata, & Reverendo P. Petro Fourerio tunc temporis (anno 1627.) famâ Sanctitatis celeberrimo, ejusque Congregationi recens collectæ & reformatæ donata, pulcherrima est, & ampla Domus præfatæ Ecclesiæ contigua constructa; & sic quidem propriis ejusdem memoratæ Congregationis impensis tanquam Seminarium pro Religiosis Canonice Philosophiæ & Theologiæ Studiosis tum Domi, tum in Universitate Mussipontana vacaturis.

Præterea Chorus à viginti circiter annis institutus ibidem est, ac Novitiatus, nec non recens fundatæ quoque Scholæ publicæ, ut in iis juxtâ Constitutiones ac Mentem prælaudati Reformatoris Adolescentes pueri erudiantur, usque dum Collegia frequentare valeant, qui linguam Latinam & alias scientias addiscere cupiunt.

Insuper hæc Canonica commendatur ab insigni Bibliotheca, tum etiam ab ordinaria Residentia totius Congregationis, Generalium quorum sequens est

Series Præpositorum.

I. Nicolaus Guinet, electus anno 1629. Is Romam missus antè promotionem suam, ut ab Urbano VIII. Pontifice Maximo susceptæ Reformationis Confirmationem, aliâque Pontificia Diplomata ad erigendam, propagandamque novellæ Congregationis nostræ Plantationem necessaria quantocyus impetraret, quem adeò mirati sunt universi Curiam Romanam componentes, sed vel maximè ipsusmet Summus Pontifex, qui singulis ferè diebus alloquio quandoque etiam ad tres horas protracto eundem ipsum Nicolaum dignatus est, cujus eadem Sanctitas, ut faciliorem etiam ipsi pararet accessum, Palatii Apostolici Custodes monuit, ut ipsum Nicolaum ad audientiam Pontificiam accedere cupientem, etiam sine quavis præmonitione audacter introducerent; de quo eodem Dignissimo Antistite ampliùs sciendum est, quòd Mussiponti grassante Epidemiæ morbo dum pauperulæ cujusdam Mulieris itidem eadem tabe infectæ confessionem exciperet, pariter intoxicatus vitâ terrestri defecerit anno circiter sui Generalatûs tertio cum dimidio.

II. B. Petrus Fourerius vulgò Pater de Mattincourt appellatus Venerabilis Dei Servus, electus anno 1632. Vir publicâ Sanctitatis famâ & Miraculorum gloriâ conspicuus,

spicuus, item Sæculi istius Thaumaturgus, prout ampliùs testatur ejus Vita primùm à Joanne Bedel supràdictæ Congregationis Alumno Gallicè conscripta, postmodùm verò à Dominico Bisselio Can. Reg. ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum latinè reddita, atque ibi demùm anno 1668. typis vulgata. Procuratur ammodò apud Sedem Romanam ejus Beatificatio, & cum omnes de ejus Sanctitate, heroicis virtutibus & miraculis processus facti omninò sint admissi, speratur fore, ut in hoc negotio omnia ad votum debitis Ceremoniis expleantur. Impletum fuisse pium hoc Authoris votum currente Sæculo, toti Canonico nostro Ordini est notissimum.

III. Guido Lemulier Abbas S. Petri Montis Vir omnigenæ perfectionis, virtutis, ac scientiarum laude fulgidissimus, quo quia fortè mundus ampliùs non erat dignus, desuper evocatus diem suum. obiit anno 1642.

IV. Joannes Tuinet eximiæ prudentiæ & doctrinæ luminibus constanter emicans, sæpè memorati Congregationi suæ præfuit annis 25.

V. Joannes Stephanus antè S. Ægydii Præpositus sub disciplina Sancti Reformatoris nostri aliquot annis sanctè educatus, quem & ille vel olim itidem fore Generalem prædixit, quique idem Joannes communi famâ Sanctitatis inelytus, vitam terrestrem finiit anno 1682. die 23. Februarii.

VI. Philippus Georgius à Venerandis proximis duobus Prædecessoribus suis ad id Officii specialiter commendatus, utpotè hujuscemodi munere seu Prælaturâ omninò dignissimus, eò quòd maximè etiam aliis dignitatibus & officiis jam antè fuerit perfunctus. Sed ecce! dum hæc properanter apparo præter spem litteras accipio à Clarissimo Viro Plurimùm Reverendo Domino Francisco Merckier Regalis Monasterii Argentinensîs ad S. Ludovicum Lotharingiæ Congregationis hujus Regulari Canonico Achate fidelissimo, amicissimo sub dato 1692. die 26. Martii perscriptas, in quibus ipse de eodem Philippo dignissimo Antistite mentionem injicit, ac simul etiam sequentia apponit: *Reverentiæ vestræ simul ac cæteris Dominis Con-Canonicis vestris ac Religiosissimis Confratribus in Domino Colendissimis Observandissimis &c. &c. tenore præsentium notum facio, quòd mense Decembri anni superioris die ultimo vitâ terrestri defunctus fuerit Reverendissimus Venerabilis memoriæ Generalis noster Philippus Georgius &c.*



Littera N.

NASSOVIENSE,

Seu in Nassovia oppido (quod est omninò diversum ab illo paris nominis in Franco-nia & tractu Wetteraviæ situato) Diocesis Leodiensis Monasterium S. Mononis Martyris natione Scoti & Discipuli S. Joannis Agni Episcopi Ultrajectensis, cui ob fidem Catholicam mactato, Pipinus Rex Decimas obtulit, quas habet inter Letiam & Urcam, Sanctus verò Joannes Agnus Clericorum Regularium Conventum ibi instituit. Est locus in sylva Arduenna &c. Molano in Natalibus ad diem 18. Octobris. Hæc Pennotus in Histor. tripart. Lib. 2. cap. 38. num. 10. quæ eadem profert etiam Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum Regularium eodem die. Verùm Nassoviense hoc Monasterium Canonicorum Regularium jam à pluribus annis in Collegium Clericorum Sæcularium fuisse transmutatum, ad me Leodiò scriptum est.

NAUMBURGUM.

Ita proprio nomine suo dicta Saxonie Superioris Civitas in Misnia inter Lipsiam ad Ortum, & Erfordiam ad Occasum in ipso limine Thuringiæ situata, atque eadem hæc cum adjacente Regiunculâ vel olim sub Dominio proprii Episcopi sui constituta, hodie verò post promulgatam Transactionem Westphalicam Electori Saxonico subdita, hæc, inquam, Naumburgensis Civitas antiquitus Cathedralē Ecclesiam habuit, quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Sedis Magdeburgicæ, & una ex illis Comprovincialibus per universam Saxoniam diffusis, in quibus olim Fratres seu Canonicos sub Regulâ S. P. N. Augustini militantes refert Albertus Krantzius jam suprâ in Descriptione Cathedralis Monasteriensis in id adductus.

NAUM-